IACOBI MORELLII

BIBLIOTHECAE REGIAE D. MARCI VENETIARVM

PRAEFECTI

EPISTOLAE SEPTEM

VARIAE ERVDITIONIS

QVARVM TRES NVNC PRIMVM PRODEVNT

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORVM TITVLO MINERVA

MDCCCXVIIII

Digitized by Google

VA1 1507100

Digitized by Google

AUCTOR

LECTORIBUS

Quod procul a veritate et frustra scriptores nonnulli in praefationibus librorum suorum profitentur, se videlicet petitionibus et hortamentis amicorum permotos, eos edidisse, idem ego de his epistolis affirmare verissime, nec sine caussa, possum; utpote qui tenuitatis ingenii mei conscius probe sim, ac etiam senio et valetudine infirma affectus, nonnullas earum pridem scripserim, vel jam scriptis annotationes adiecerim; atque adeo ne id lectores lateat valde me intersit, ut ad defectus qui insint excusandos pronos facilesque iidem se praebeant. Non deerant qui me hortarentur ut epistolas

Digitized by Google

alias ad Amandum Gastonem Camus, ad Iosephum Retzerum, ad Danielem Wyttenbachium, et alios scriptas denuo hic proferrem (*): attamen satius duxi ab aliis adiungendis abstinere, ne scripta mea magis quam par sit facere viderer. Venetiis Calendis Decembris MDCCCXVIII

(*) Quae nimirum sunt: 1. Ad Camus scripta an. 1791. de Codice Graeco n.° CCVIII. Aristotelis de Historia Animalium in Bibliotheca Veneta D. Marci servato, anno 1800. edita in opere *Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèque National de Paris T. V. p.* 435; quam cum primum scriberem, ex codice Bessarionis a Venetis Laurentio Mediceo mutuo dato descriptum Florentinum fuisse perperam putabam, cum hic saeculi XIV sit, quum Bessario codices suos nondum Reip. Venetae donaverat: nihilo tamen minus Florentinus a Veneto fluxisse videtur.

2. Ad Iosephum Retzerum de operibus Hieronymi Balbi Veneti Episcopi Gurcensis, ab eo Vindobonae anno 1792 editis; quae exstat in *Mercurio Italiano. Vienna, settembre* 1792.

3. Ad Danielem Wyttenbachium, virum eruditione summa clarissimum, mihique communione studiorum mutuisque officiis ante hos triginta tres annos coniunctum, de veteri Phaedonis Platonis versione Latina inedita, facta, ut putari solet, ab Henrico Aristippo Atheniensi, epistolae duae scriptae anno 1806, editae in Phaedone Wyttenbachii Lugduni Batavorum 1810, p. 103, 105.

4. Ad eundem de Davide Armeno Philosopho ὁ θεοφιλέστατος dicto, eiusque Commentario Graeco inedito in Categorias Aristotelis, epistola edita in Philomathia Wyttembachii, Amstelodami 1817. Lib. III. p. 317.

INDEX

EPISTOLARUM

I. *Christophoro Friderico Ammonio, De nova Versione Graeca Librorum quorundam Veteris Testamenti inedita in Bibliotheca Veneta Marciana asservata* . Pag. 1

II. Io. Baptistae Caspari de Ansse Villoisonio, De Progne Tragoedia Gregorii Corrarii Veneti inventa manuscripta, et Lucio Vario perperam tributa . . . „ 7

III. Theophilo Christophoro Harlesio, De Codicibus mss. Theocriti in Bibliotheca Regia Venetiarum asservatis, de Variis in iisdem Lectionibus, deque Hieronymi Aleandri iunioris Dissertationibus variae eruditionis, quarum una ad Theocritum pertinens hic prodit, aliisque Aleandri scriptis ineditis . . . . „ 13

IV. Albino Ludovico Millino, De Inscriptione Graeca quae Venetiis in Museo Grimanorum exstat . . „ 37

V. Dominico Mariae Morenio et Aloysio Fiacchio, De Leonis Baptistae Alberti Intercoenalibus eiusque scriptis quibusdam aliis, vel ineditis, vel nondum satis cognitis . . . . „ 45

VI. Antonio Isaaco Silvestre de Sacy et Ioanni Francisco Boissonade Epistola, qua Hieronymi Aleandri iunioris Dissertationem ineditam de Provincia Venetiarum deque Urbe Venetiarum Morellius primum hic edit „ 66

VII. Philippo Schiassio, De Ioanne Dondio ab Horologio Medico Patavino, deque Monumentis antiquis Romae ab eo inspectis, et scriptis eiusdem quibusdam ineditis „ 78

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLAE

Digitized by Google

I

De Nova Versione Graeca Librorum quorundam Veteris Testamenti inedita in Bibliotheca Veneta Marciana asservata.

CHRISTOPHORO FRIDERICO AMMONIO

Philosophiae in Gymnasio Erlangensi Professori

Fidem libero, quam tibi proximis litteris dedi, ac meam de Codice Veneto novae Versionis Graecae aliquorum Veteris Testamenti librorum, deque huius pretio sententiam aperio. Itaque specimen duplex mitto characteris quo is exaratus est; nimirum folii primi partem adversam, qua Genesis incipit, ac folii 279 partem itidem adversam, qua Deuteronomium desinit. Quod non ab uno librario scriptio codicis tota prodierit, neque de uno tantum charactere indicium facere satis esse duxi: a folio siquidem primo ad folium 81 adversum, quo Exodi Caput VII. v. 15. continetur, character valde deformis atque inusitatus est: deinde a folio eodem averso ad finem, satis usitato illo, quem ad finem Deuteronomii vides, fere omnia scripta sunt. Charactere utroque inspecto, codicem saeculo XIV. adiudicare non ego sane vererer. Oblongam eius

Digitized by Google

formam specimen idem duplex ostendit, utpote quod scripturam cum integro margine, qui eam ambit, exhibeat: litteris initialibus rubri coloris a manu synchrona liber totus interspersus est. Te non latet eundem ordine retrogrado exaratum esse, atque adeo folium primum, iuxta communem loquendi rationem, ultimum tenere locum; in quo ex Iudaico scribendi more nonnihil sumptum est. Non tamen, ut est a nonnullis traditum, textus a dextera sinistrorsum abit: quod in Graeca lingua perincommodum esset. Quanquam in usum Iudaeorum privatum conscriptum, vel potius ad alius in usum eundem facti exemplum descriptum fuisse, cum ex ordine scripturae, tum ex lectionum per Sabbata distributione, satis constat.

Apographum esse, errores multi in vocibus accentibusque, et commata non pauca suis locis omissa, ac postea in margine adiecta declarant. Libri sacri hoc se ordine habent: Pentateuchus, Proverbia, Ruth, Cantica, Ecclesiastes, Threni, Daniel. Bonae plerumque conservationis codex est, vividoque charactere: nonnihil tamen scripturae in foliis quatuor prioribus ad imam oram deficit, ac in aliis bene multis altera ex parte litterae fugientes ac pene deletae sunt; non quidem vetustate, sed membranae atramentique vitio. Quo fit, ut nulla non laude dignum Villoisonium et censeam et praedicem, qui lynceis oculis, ac multo magis mi-

Digitized by Google

rifica litterarum Graecarum, praesertim vero palaeographiae peritia, instructus, textum huiusmodi nexibus et siglis perquam abstrusis refertum, a capite ad calcem feliciter exscripsit. Non sine erroribus id equidem fecit: at quisnam tam arduum, tamque longum spatium inoffenso pede percurrat?

Ad Versionem quod attinet, etsi de multa eius antiquitate statuenda me omnium maxime sollicitum esse oporteat, a me tamen impetrare non possum, ne medii aevi eam opus esse putem. Num vero infra saeculum sextum et decimum prodierit, ut Eichhornio placet; num decimo vel tertiodecimo, ut Jo. Bernardus de Rossi censet, non ego ausim decernere. Quam ei denego vetustatem, denegabat, quantum video, ante annos trecentos Bessario Cardinalis, qui propius, quam nos absumus, ab eius origine aberat, et pro sua rei Graecorum litterariae peritia, de operis indole deque auctore iudicio aptiori ferendo par omnino erat. Enimvero in calce libri indicium eiusmodi Graece et Latine, uti consueverat, vir doctissimus manu sua adscripsit: Γένεσις καὶ ἄλλα τῆς παλαιᾶς γραφῆς, νέα τινὸς ἑρμηνεία, ἄρχεται ἀπὸ τȣ̃ τέλȣς τȣ̃ βιβλίȣ κατὰ Ἰȣδαίȣς. κτῆμα Βησσαρίωνος Καρδινάλεως τȣ̃ τῶν Τȣ́σκλων. *Genesis et alii libri de Testamento Veteri. Nova translatio in Graecum incipiens a fine libri more judaico. B. Card. Tusculani.* Quem quidem titulum Latinum ipsissimis verbis Bessario posuit in Indice Librorum suorum an.

M.CCCC.LXVIII cum libris ipsis ad Senatum Venetum missO, et in bibliotheca asservato.

Νέα et *Nova* Villoisonio hoc loco idem est ac *inaudita* et *ignota*: mihi vero *recens* et *antiquae opposita*. Sane magna etiam in Versione vocum copia, quarum nulla apud antiquos auctores occurrit, cum stilo qui vetustatem minime redolet coniuncta, hanc mihi sententiam suadet. Neque propterea Versionem futilem ac nullius exiguive usus exegetici aut critici esse, quemadmodum populares tui quidam aiebant, unquam ego affirmaverim. Praeterquam enim quod ad textum Hebraicum constituendum identidem conducit; Graeca quoque lingua per eam augescit, et voces non paucas phrasesque nonnullas acquirit, quae significandi vim propemodum singularem habent. Quam Graecae linguae peritiam, dialectorum usum, dictionis Atticae consectationem, saepe etiam nimiam, dum animadverto, interpretem Graecum hominem potius, quam Iudaeum, ut agnoscam adducor: quem si elegantia deserit, studium inhaerendi textui Hebraico una eius rei causa est. At ego noctuas Athenas et vasa Samum affero. Tu enim, pro eximia eruditione tua, atque etiam opera in hac interpretatione cognoscenda atque illustranda posita; expensis etiam quae a Villoisonio, Semlero, Strothio, Eichhornio, Doederlino, Michaelio, Dahlero, Annalium Helmstadiensium auctoribus, aliisque de ea

Charact. Cod. VII. Bibl. D. Marci Venet.

Genesis Cap. I.



ΓΕΝΕΣΙΣ

CAP. I.

Ἐν ἀρχῇ
ἔκτισεν
ὁ Θεὸς
τὸν
οὐρανὸν
καὶ τὴν
γῆν·
Ἡ γὴ δ'ὑπῆρξε στέρησις κενόν τε,
σκότος τ'ἐπὶ προσώπου τῆς ἀβύσσȣ, καὶ πνεῦμα
Θεȣ̃ ἵπτατο κατὰ προσώπου
τοῦ ὕδατος. Ἔφη γοῦν ὁ Θεὸς· ὑπαρξάτω
φῶς, καὶ ὑπῆρξε φῶς. Ἤθρησε δ'ὁ Θεὸς
τὸ φῶς, ὅτι χρηστὸν, καὶ διέστειλεν
ὁ Θεὸς ἀνὰ τὸ φῶς ἀνά τε τὸ σκότος.
Καὶ ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τὸ φῶς ἡμέραν,
τὸ δὲ σκότος ἐκάλεσε νύκτα· τετέλεκεν οὖν
ἑσπέρα κἀτέλεσεν ἕως ἡμέρα μία.

Καὶ εἶπεν ὁ Θεὸς· ὑπαρξάτω τάμα
μέσον τῶν ὑδάτων, τελείτω τε διαστέλλον
ἀν' ὕδατα ἐς ὕδατα. Ἐποίησεν οὖν
ὁ Θεὸς τὸ τάμα καὶ διέστειλεν
ἀνὰ τὰ ὕδατα τὰ κάτωθεν
τοῦ τάματος καὶ ἀνὰ τὰ ὕδατα τὰ
ἄνωθεν τοῦ τάματος ὑπῆρξέ τε τῇδε. Καὶ ἐκάλεσεν
ὁ Θεὸς τὸ τάμα οὐρανὸν· ὑπῆρξέ θ'
ἑσπέρα κἀτέλεσεν ἕως ἡμέρα δευτέρα.

Digitized by Google

edita sunt, rei diiudicandae omnino par es. Mihi vero sufficiat quae de codice intelligere cupiebas αὐτοψεὶ cognita significasse, atque ad ea quae cultores litterarum decent, officia erga te praestanda me paratissimum profiteri.

Venetiis die VII. *januarii* MDCCXCI.

Edita ab Ammonio cum Nova Versione Graeca Pentateuchi Erlangae 1791. Parte III. pag. 105.

ANNOTATIO

Cum in Indice Codicum manuscriptorum bibliothecae Venetae Marcianae an. 1740. typis edito pauca verba, a quibus incipit Nova Versio Graeca eatenus inedita librorum quorundam Veteris Testamenti, vulgata fuissent, ac postea ingens fama de Versione illa oborta esset, non secus ac si operae pretium plane foret eandem in lucem publicam eruere; Villoisonius, sumptu Regis Galliarum, an. 1778. alacri animo Venetias venit, ac difficultate legendi characteris inusitati, laboris taedio, nullove alio incommodo deterritus, totam exscripsit. Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Ruth, Threnos, Danielem, et Pentateuchi capita selecta is an. 1784. Argentorati edidit; ac postmodum Pentateuchum totum Christophoro Friderico Ammonio misit, qui an. 1790. et sequenti Erlangae editione facta rem absolvit: idemque hanc epistolam, cum commonstratione, a me accepta, errorum variarumque lectionum, quae a nimia Villoisonii in exscribendo festinatione prodierant, in tertio operis tomo, non sine vitio aliquo typographi, vulgavit; characteris quoque duplicis in codicis specimine exhibito, quod quantum ad Genesim spectat, auctius ob oculos hic posuisse iuverit. Pauca ad rem alia, quae ne tunc pro editione communicarem, angustia temporis effecerat, adieci in tomo primo pag. 9. Bibliothecae meae manuscriptae an. 1802. Venetiis impresso.

Quod de auctore ac de aetate Versionis in alias atque alias sententias iverint viri rerum eiusmodi peritia praestantiores, quam difficile sit quidquam definire iam patet. Ab Iudaeo Hellenista profectam eam esse, sunt qui putent, quique auctorem Graecum reputent haudquaquam desunt: antiquitatem eius aliqui praedicant, alii prorsus negant, immo iis temporibus quibus Graecas litteras ex Oriente demum recepit Occidens, nonnemo eandem adiudicat. Varias eiuscemodi sententias Ammonius in commentatione de usu indole et aetate versionis, in tomo tertio allato impressa, explicavit; totamque commode cum expendisset, monachum aliquem natu Syrum intra saeculum octavum et undecimum florentem auctorem statuendum esse demum sibi persuasit. (*Praef.* et *p.* 44, 92, 94.) In laude interpretis decernenda non minor iudiciorum dissensio est. At qualiacumque sint quae de Versionis usu critico et exegetico prodierint; quod ad textum sacrum constituendum interpretandum illustrandumque quodammodo ipsa prosit, atque ab inutilitate omnimoda, quam nonnulli ei tribuere, longe absit, exploratum iam est.

Venetiis Calend. Novemb. MDCCCXVIII.

II

De Progne Tragoedia Gregorii Corrarii Veneti inventa manuscripta, et Lucio Vario perperam tributa.

IO. BAPTISTAE GASPARI DE ANSSE VILLOISONIO

Academiae Parisiensis Inscriptionum et Elegantium Litterarum Socio

Rogas, Vir Clarissime, quae mea sententia sit de auctore Tragoediae *Tereus* inscriptae, quam ab Augusti aetate profectam nonnemo putabat, immo vero contendebat. Scilicet cum Gerardus Nicolaus Heerkens Groningensis ex bibliotheca Coenobii cuiusdam Germaniae, ut inquit, vetus eius exemplar sine auctoris nomine, solo *Terei* titulo adiecto, accepisset; sibi ac litteris magnopere gratulatus, veluti Varii, celeberrimi illius tragoediarum scriptoris, foetum in medium attulit, ac in praefatione ad Icones suas, Ultraiecti an. 1787. impressas, et anno proximo, Parisiensi editione ficta, denuo in lucem prolatas, magna ex parte vulgavit. Est ei fides, ut video, non usquequaque tamen, adhibita; prodiit siquidem Annabergae anno 1790. libellus, qui ad manus mihi est, hoc titulo *Tragoedia Vetus Latina*

Tereus, deperditarum XV soror, cuius nuper repertae historiam et prologum tradit David Christianus Grimm. Vario Tragoediam se abiudicare, Christiano autem cuidam auctori eam tribuere, satis indicat Grimmius: cuinam adiudicet, nescit. Tu ab Italo quopiam post renatas litteras prodiisse suspicaris. Ac recte id quidem; auctor namque eius est Gregorius Corrarius Venetus Protonotarius Apostolicus, qui saeculo XV floruit, ex allatis praesertim a Fratre Ioanne Augustinio in primo de Scriptoribus Venetis volumine, tibi, rerum Venetarum studiosissimo, perquam cognitus. Typis Academiae Venetae, quam *Famae* appellabant, est ea primum impressa anno 1558. hoc titulo *Progne Tragoedia nunc primum edita,* Ioanne Riccio curante; cuius in epistola nuncupatoria Francisco Vargae Hispaniarum Regis a Consilio et eiusdem apud Pontificem Maximum Oratori haec verba sunt: *Mei vero summi in te studii index tibi erit Progne Tragoedia; quam, ut ipsius facile sublimitas indicabit, vel antiquam, vel antiquis, quae maxime laudantur, certe parem, quae multos annos in mea latuerat bibliotheca, nunc in tuo nomine apparere volui.* Sine auctoris nomine tum quidem prodiit, quemadmodum et in editione altera Romae anno 1638. Corrarium tamen ejus auctorem certo tenemus. *Scripsi Prognem Tragoediam anno aetatis meae decimo octavo; quam postquam edidi, nihil non speravit de*

me Victorinus (Feltrensis eius praeceptor) *cadebant legenti ubertim lacrymae.* Ipsiusmet Corrarii verba haec sunt in epistola ad Caeciliam Gonzagam a Martenne edita (*T. III. Collect. Vet. Monum. p.* 840.) AEneae Silvii Piccolominei, seu Pii Papae II. luculentum testimonium accedit in opusculo de liberorum educatione (*Oper. eius p.* 984. *ed. Basil.* 1551:) *Tragoediae quoque perutiles sunt; sed Latinum hodie, praeter Senecam, qui fuit magni Senecae nepos, nullum habemus, nisi Gregorium Corrario Venetum, qui Terei fabulam, quae apud Ovidium habetur, in tragoediam vertit.* Bartholomaeus quoque Fontius in Dictionario manuscripto, apud Mehusium in praefatione ad Ambrosii Camaldulensis Epistolas, (*p. xxiii.*) versum e *Gregorii Corrarii Progne* sumptum affert; quem in hac ipsa Tragoedia reperire est. At enim unum, quod praecipuum est, argumentum adiicere praestat, sumptum ex codice apud me asservato (nosti enim bibliothecam quoque meam domesticam codicibus manuscriptis, iisque selectis, instructam esse) in quo Corrarii Opuscula autographa, et secundis ab eo curis expolita sunt. Primum in eo locum Tragoedia obtinet, et ipsa ab auctore, postquam in lucem primum dederat, recensita; atque adeo ab impresso textu, qui primam scriptionem refert, aliter saepe habet; immo vero est versibus integris tribus deminuta; quorum ad locum in ora

codicis scripsit Corrarius: *Hinc, postquam edidi, duos versus amovi certa ratione: rogo ut ex aliis exemplaribus amoveantur. Hinc, postquam edidi, versum amovi.* Iam vero de auctore, iuxta ac de editione satis superque constat. Valeat itaque Heerkensius cum Vario suo. Ceterum magna manet Corrario laus ex hac ipsa Tragoedia; maior autem ex Satyris sex Latino carmine scriptis nunquam vero editis, quas prae Tragoedia se probasse, Bembus Cardinalis, Angelo Gabrieli scribens, testatum reliquit. (*Lett. Vol. II. Lib. II. p.* 29.) Haec ad te, Villoisoni dulcissime, iucundos eos de litteris sermones, quos in bibliotheca Marciana quotidie conferre consueveramus, in memoriam quodammodo revocans, post diuturnum silentium, scribebam. Venetiis x. Cal. Octob. MDCCLXXXXII. raptim.

Anno eodem Venetiis seorsum impressa.

ANNOTATIO

Quae de valde iactata a Gerardo Nicolao Heerkens Groningensi Medico, de quo Saxius in Onomastico et Beuchotio in Biographia Universali, anno 1788, inventione tragoediae *Tereus* inscriptae, ab eoque Lucii Varii falso habitae, a me autem Gregorii Corrarii Veneti, cum notitia editionis sub titulo *Progne*, primum commonstratae, pervulgata iam sunt, ne illud negotium sane festivum, hic totum enarrem, omnino faciunt. Praeter libellum Grimmii a me denotatum, patent scripta eadem de re omnia quae Simon Chardonius de la Rochette collegit ac edidit in opere Millini *Magasin Encyclopédique An. IX.* 1804. *T. IV. p.* 384, denuo

autem ipse dedit in suis Miscellaneis (*Melanges, an.* 1812. *T. III. pag.* 318.) In iis locum quoque suum habet epistola haec mea, quam scripsi non veluti excubitor quidam de Sinonibus a republica litteraria arcendis continuo vigilans, quemadmodum amicissimus Chardonius ibidem lepide scripsit; bene vero ut responderem Villoisonio, per litteras die 18. Aug. an. 1792. Parisiis datas, ita sciscitanti: „Feu M. Heerkens Hollandois, auteur de l'Epime„nides a fait imprimer en Hollande, sous le faux titre de Paris „le livre suivant: *Gerardi Nicolai Heerkens Groningani Ico„nes. Parisiis* 1788. 8.° Dans la préface il donne de longs frag„mens d'une Tragédie Latine intitulée *Tereus*, qu'il avoit reçue „d'un Convent d'Allemagne, et qu'il attribue au fameux Varius „du siècle d'Auguste. Son Roman est assez mal imaginé. Il m'a „paru démontré que cette Tragédie, où l'on trouve à chaque „vers des reminiscences d'imitation de Senèque et d'Horace, „est d'un auteur moderne, mais non pas d'Heerkens, qui est un „fort mauvais poëte Latin et très-dur, à en juger par ses *Icones* „et par son *Epimenides* qu'il avoit publié auparavant. Je soup„çonne que ce *Tereus* est d'un poëte Italien du seizième siècle. „Vous qui connoissez à fond tous les coins et recoins de l'hi„stoire littéraire, n'avez vous pas d'idée d'un poëte Italien qui „ait laissé une Tragédie manuscripte intitulée *Tereus?*„ Qui idem vir eruditione aeque ac humanitate praestantissimus, mea sententia cognita, ex Aurelia die 2. Maii 1793. haec ad me rescripsit: „Vous „ne sauriez croire le plaisir que m'a fait vôtre savante lettre sur „la Progne de Correr. Elle est digne de vous, c'est-à-dire que „c'est un chef d'oeuvre d'érudition. Il n'y a que vous qui pos„sédiez l'histoire littéraire à ce haut degré, et qui en ayez par„couru tous les coins et recoins. Je ne puis me lasser de vous „admirer. Je désirerois fort que vous missiez au jour les autres „poësies Latines inédites de ce même Correr, dont vous possédez „le Ms. dans vôtre précieuse collection.„ Ut primum epistola pagella una impressa seorsum prodiit, ejuscemodi rerum periti de auctore sagaciter detecto et evulgato laetari, Veneti de cive a nonnullis laude antiquitatis digno habito sibi placere, amici felix inventum gratulari. Nec defuere tunc qui epistolam ipsam iterum

adderet: Iosephus Vernazza eam Italice reddidit et in Bibliotheca Taurinensi an. 1792, mense septembri dedit: Theophilus Christophorus Harlesius in Supplementis ad Notitiam breviorem Litteraturae Romanae T. I. p. 494. an. 1799 novam in lucem protulit. — His addere modo liceat Ioannem Tortellium Aretinum Corrario aequalem luculentum hoc judicium in orthographia tulisse (V. *Philomena*): *Philomenae et Prognes uxoris Terei regis Thracum fabulam Ovidius Lib. VII. Metamorph. eloquentissime enarravit: quam omnem tragoediam miro stilo, et pari antiquis Gregorius Corrarius Venetus, divino quodam ingenio nostra aetate, dum adolescentulus esset, pertractavit, imitatus Thyestem Senecae, quo in nulla re minor comperitur.* Academia Veneta, cujus typis tragoedia primum impressa est, haec in fine libelli adiecit: *Cum in hac tragoedia multas eluere veterum poetarum virtutes eruditi homines judicarent, communicandam vobis putavimus eo libentius, quod in hoc genere, praeter unum Senecam, nihil habemus; cuius tragoediis minimum certe Progne nostra concedit. Illud aequo animo feretis, quod aliquot in locis deformatam mendis, quae corrigere non licuit, legetis. Maiora in posterum, Deo favente, expectabitis.* Academia eadem in libello rarissimo an. 1559. suis typis impresso, cui titulus *Libri quos variis in scientiis et artibus conscriptos nuper edidit, et ad nundinas Francofordianas misit Academia Veneta,* iudicium huiusmodi fecit: *Tragoedia gravissima et sublimi carminis sono excellens, quae inscribitur* Progne: *in qua non modo duarum sororum, Prognes et Philomenae, eleganti fabulae involucro obtecta, vera historia cognoscitur; verum etiam manifeste patet quae sit animi iracundia incensi vis ad perfringendas Amoris leges, et quo saepe eiusdem Amoris vi, spreta ratione, homines impellantur.* Ludovicum Domenichi Placentinum, Progne Corrarii Italice reddita an. 1561. Florentiae ceu ingenii sui foetu edita, plagiarium publice se prodidisse, ex allatis ab Apostolo Zeno et Hieronymo Tiraboschio constat; inepte vero concivem suum a crimine purgare Christophorus Poggialius postmodum contendit (*Memorie per la Storia Letter. di Piacenza T. I. p.* 258.)

Venetiis Prid. Non. Novemb. MDCCCXVIII.

III

De codicibus Manuscriptis Theocriti in Bibliotheca Regia Veneta asservatis,

De Theocriti loco a Hieronymo Aleandro Iuniore illustrato,

Deque scriptis nonnullis Aleandri nondum editis

THEOPHILO CHISTOPHORO HARLESIO

Litterarum Graecarum Latinarumque in Gymnasio Erlangensi Professori.

Quod novam Theocriti editionem facturus, si quid ad eandem opportunum habeam, tecum ut communicem petis, jure tuo facis, Harlesi mi; quippe ad Graecos Latinosque scriptores recensendos ac illustrandos eiusmodi adjumenta ipse publice praebuisti, ut, qui eorum studio tenentur, nihil non se tibi debere omnino intelligant; a me autem ut id fidentiore animo postules, ego alacriore efficiam, par equidem est; cum, pro veteri justaque amicitia nostra, hujusmodi officiis implendis jam adsueverimus. At enim, post operam eximiam a tot eruditione atque critica summis viris in emendando ac expoliendo poeta adhibitam, neque multa sunt a me expetenda; neque omnia, quae fortasse possem, ut expendam et affe-

ram, curae aliae litterariae permittunt. Haec igitur aequi bonique facias, quae sine magno temporis impendio comparare licuit.

Ac de codicibus quidem manuscriptis bibliothecae Regiae, cui praesum, ut primum dicam; tres tantummodo, qui Theocriti Idyllia habeant, in ea exstant, saeculo XV non vetustiores, neque dialecto Dorica accurate servata descripti. Horum primus, No. CCCCLXXX in Indice impresso notatus, Bessarionis Cardinalis jussu, a Joanne Rhoso Cretense Presbytero, cujus est mihi perspecta manus, exscriptus, cum Oppiani, Dionysii Periegetae, Nicandri, Arati, Hesiodi, Apollonii Rhodii, Orphei et Callimachi poematibus, Theocriti Idyllia octodecim priora continet, Argumentis jam editis et Scholiis instructa: textus, olim vulgo receptus, lectiones probabiles vix ullas offert, quas praesertim editio Aldina non praebeat, vel ex codice Lipsiensi Reiskius non protulerit: Scholia, quae in octo tantum priora Idyllia adsunt, vulgata fere omnia sunt; ac, si ineditum aliquod occurrit, lucem idem haudquaquam meretur. Secundus, in Indice impresso No. CCCCLXVI notatus, olim Bessarionis, cum Pindari Olympiis, Hesiodi Operibus et Diebus, et Oppiano de Piscatione, Theocriti Idyllia novem priora habet: textus lectionem in antiquis editionibus exhibitam ut plurimum fert, a quibus persaepe cum codice Augustano, ac identidem cum

Lipsiensi quoque discedit: prolegomena adsunt, nimirum Vita Theocriti, Argumenta singula ex editis composita, aliaque, cum variis lectionibus nonnullis: glossae interlineares insunt, nullius propemodum usus: scholia accedunt, quorum ineditum nullum est. Tertius, ex bibliotheca Coenobii SS. Joannis et Pauli in Marcianam translatus, cum Iulio Polluce, Aeschyli tragoediis tribus, Dionysii Periegesi, Hesiodi Operibus et Diebus, Theocriti Idyllia octo priora continet: horum textus codici Lipsiensi haeret, in quo Idyllia eadem octo tantummodo sunt. Non sane multa magnive momenti subsidia ad novam editionem ex his Venetis codicibus comparare licet, quum varias lectiones plerumque objiciant, quae ex antiquis editionibus cognitae, bene in recentioribus rejectae fuerint, neque ut ad lucem denuo eae revocentur quicquam intersit. Suppetunt nonnullae tamen, quae ad bonitatem textus firmandam, vel etiam cognoscendam, librumque totum expoliendum quodammodo faciunt; hae nimirum, codicibus CCCCLXXX. CCCCLXVI. ac tertio litteris A. B. C. denotatis, ad editionem an. 1780. Lipsiae a te factam accommodatae.

In prolegomeno de inventione Bucolicorum est πρῶτον ἀχθῆναι... Σικελίας διῆλθεν... τὴν θεὰν ἰδίοις ποιήμασι καθυμνήσαντες... Ἐν τοῖς Συῤῥακουσίοις (sic semper) στάσεως ποτὲ γενομένης... εἰσελθόντος... οἱ δὲ ἀγροῖκοι δῶρα

ἰκόμισαν, καὶ τὴν θεὰν γεγηθότες ἀνύμνησαν· ἔπειτα ταῖς ἀγροικικαῖς ᾠδαῖς τόπον ἔδωκαν καὶ συνήθειαν. Proleg. de differentia Bucolicorum τὰ δὲ βουκολικὰ... εἰλήφασιν, κρατιστεύοντος τοῦ ζώου. Omnia Cod. B.

Idyll. I. v. 81. Πρίηπος. A. B. C. — v. 110. πάντα. A. B. — v. 126. ἀγατὸν. A. B. — Idyll. II. v. 5. τεθνάκαμες. A. B. C. — v. 24. λακεῖ. A. B. C. — v. 65. ἄρξομ' ἐγὼ. B. C. — v. 101. ὀφαγέο. A. B. — v. 126. Εὖδον δ'. A. B. C. — Idyll. III. v. 13. Ἁ βομβεῦσα. A. B. — v. 27. μ' ἀποθάνω. A. B. — v. 29. ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα. A. B. C. — v. 46. οὔρεσι. A. C. — Idyll. IV. v. 28. ἐπάξα. A. ἐπάξω. B. — Idyll. V. v. 3. ἀμνάδες. C. — v. 20. αἴτε πιστεύσοιμι. C. — v. 45. τουτεὶ. C. — v. 108. ὑπερπηδῆτε. B. — Idyll. VI. v. 12. ἐπ' αἰγιαλοῖσι. A. B. — v. 20. καλὸν ἀείδεν. A. καὶ τάδ' ἀείδεν. B. — v. 22. ποθ' ὁρῶμαι. C. — v. 25. ποθορῶμαι. C. — Idyll. VII. v. 22. αἱμασιεῦσι. B. — v. 63. ἀνήτηνον. B. C. ἀνήτινον. A. — v. 64. παρὰ κρατὶ. A. B. C. — v. 94. ὅττι γ' ἀείδειν. A. B. — v. 106. μήτι τὺ. B. C. — v. 129. ἦμεν. B. C. — Idyll. VIII. v. 3. ἤστην. A. — v. 14. ἰσομάτορα. A. B. C. — v. 18. ἐπόασα. A. ἐπόησα. B. C. — v. 27. φαλαρὸς. B. — v. 57. ὕδασι δ' αὐχμὸς. A. B. — v. 58. ἀγρομένοις. A. — v. 91. οὕτω καὶ νύμφα γαμηθεῖσα. A. B. C. — Idyll. IX. v. 2. ἐφεψάσθω. A. — v. 7. ὁ μόσχος. A. B. — v. 12. θέρους. B. — v. 18. πρὸς ποσὶ. A. B. — v. 26. σιτήθην. A. B. Idyll. X. οὐδαμα v. 8. 9. 10. A, ut in sequentibus, unus. — v. 20. Ἀλλά γε καὶ. — v. 25. ὢν γὰρ χ' ἅψεῖσθε. — Idyll. XI. v. 53. γλυκίον πέλει οὐδὲν. — v. 60. Γαλάτεια, νῦν τό γε νεῖν γε. — Idyll. XIII. v. 24. μέγα λαῖτμα. — v. 61. ἐπακούσας. — v. 75. πεζὸς. — Idyll. XIV. 66. ἐπ' ἀμφοτέροις. A. — Idyll. XV. v. 10. ποτ' ἔριν. A. — v. 32. ὁποῖα... ταύτῃ γε. A. — v. 88. πλατειάσδοισαι. A.

In Idylliis XVI. XVII. XVIII. tanta est ubique editionis Aldinae cum codice consensio, ut ex isto ducta illa omnino videatur. Hinc Idyll. XVIII. v.

v. 10. pro λίαν, uti vulgo editum, φίλος est, quemadmodum una editio ea fert, codicibus Ottoboniano et Gothano suffragantibus: *quam varietatem inter calami aberrationes abjecere summi viri; satis mire, quum φίλος pro unice vera scriptura sit habenda, inque futura poëtae recensione jure postliminii sine haesitatione restituenda*, scribit Carolus Fridericus Heinrichius in Observ. in auctores veteres Partic. I. Hannoverae 1794. 8. p. 66. Item Idyllio eodem v. 29. est κόσμος, ut in editione Aldina aliisque priscis nonnullis; ac versus quoque 36. Ἄρτεμιν ἀείδοισα κ. τ. λ., quo editio Aldina sola, cum duobus codicibus allatis et uno etiam Parisino, caret, in hoc itidem deest.

Nihil novum ut in his offendas, Harlesi praestantissime, facile est; neque pro eximia in rebus ejusmodi eruditione te certe fugiunt, quae post Theocritum an. 1780. a te denuo editum, ad ejus recensionem aut illustrationem a criticis et philologis prodiere. Non aeque compertum tibi esse potest, Hieronymum Aleandrum juniorem de loco quodam Idyllii XVII. v. 25. in ea fuisse sententia, quae non equidem nova sit, minus tamen recepta; cui in scripto inedito is auctoritatem quandam conciliat, Bourdelotio quoque approbante (*Animadv. in Heliodori Aethiop. Lib. III. p.* 71. *ed.* 1619.). Quam multa antiquitatis peritia, philologiae humaniorumque litterarum laude Aleander floruerit, tum

scriptorum illustrium testimoniis et commentariis, praesertim Leonis Allatii, Jani Nicii Erythraei, Niceronii, Mazzuchellii, Lirutii, luculenter traditum est; tum vero ex libris ipsius editis plane constat. De scriptis eius omnibus conjunctim edendis consilium olim inierat Justus Fontaninius V. C., de popularium suorum gloria nunquam non valde sollicitus, atque adeo inedita multa ipsemet exscripserat; neque tamen, curis aliis bono litterarum identidem distentus, perfecit. (*Fontanin. Epist. Venetor. ad Magliabechium Tom. I. p.* 224. *Aminta difeso p.* 162.). Ex eius apographis ad rem comparatis liber mihi est, qui cum scriptis aliis ineditis Dissertationes quatuordecim historicas philologicas criticas Variarum Lectionum, uti dicere mos fuit, ex autographis Romae in Bibliotheca Barberinorum servatis a Fontaninio descriptas continet; quae licet nondum vulgatae, in usum tamen litterarum adhibitae nonnunquam sunt. Harum una, quae ad Theocritum quoque pertinet, huiusmodi est:

De incessu Deorum. Homeri *sententia adversus* Heliodorum *expensa. Dii νίποδες.* Theocriti *locus illustratus, item et* Horapollinis *sublato mendo.*

„Rudia esse omnium initia artium, non est cur quisquam patefacere laboret: id res ipsa identidem docet. Primi pictores, testante Aeliano in Varia

Historia, adeo imperiti fuisse dicuntur, ut cum leporem canemque pinxissent, aliave hujusmodi, necesse habuerint inscriptione monere, illum esse leporem, hunc canem. Ipsi vero statuarum fusores simulacra efformabant pedibus, cruribus velut una compactis; unde morem manasse existimo Hermulas fingendi quasi unico pede stantes, translata veterum fictorum imperitia ad quoddam religionis praescriptum: forsitan vero gemini in aqua pedes hominis, quos pingebant Aegyptii ad fullonem indicandum, quod ex Mercurii similitudine ab iis factitatum scribit Horapollo, eodem, quo diximus, schemate compositi erant. Verba Horapollinis libro primo ea sunt: γναφέα δὲ δηλοῦντες, δύο πόδας ἀνθρώπου ἐν ὕδατι ζωγραφοῦσι. τοῦτο δὲ ἀπὸ τῆς τοῦ Ἑρμοῦ ὁμοιότητος δηλοῦσι. Ab illa artis ruditate videtur Daedalus primus discessisse; itaque cum statuas quodam ambulantium schemate efformasset, proditum vulgo est, abiitque in proverbium, Daedali statuas opus fuisse vinculis alligari, ne fugerent: tametsi et ipsa Daedali opera rudia fuisse, nec aspectu decora, testetur Pausanias in Corinthiacis. Daedalei illius artificii testis est antiquus auctor Palaephatus, si libellus, qui nunc extat, eius vere est, quem Artaxerxis tempore vixisse scribit Suidas; haec enim habet: λέγουσι περὶ Δαιδάλου, ὡς ἀγάλματα κατεσκεύασε πορευόμενα. τὸν δὲ ἀνδριάντα δι' αὑτοῦ βαδίζειν, ἀδύνατον εἶναι δοκεῖ ἔμοιγε. τὸ δὲ ἀληθὲς τοιοῦτον. οἱ τότε ἀνδριαν-

τοποιοὶ καὶ ἀγαλματοποιοὶ κατεσκεύαζον ἀνδριάντας συμπεφυκότας ἔχοντας τοὺς πόδας. Δαίδαλος δὲ ἐποίει διαβεβηκότας τὸν ἕνα πόδα. οἱ δὲ ἄνθρωποι ἔλεγον, ὁδοιπορεῖν τοῦτο τὸ ἄγαλμα, ὃ εἰργάσατο Δαίδαλος, ἀλλ' οὐχὶ ἑστηκός. *Narrant de Daedalo, quod ambulantes statuas efformabat: at mihi quidem fieri non posse videtur, ulla ut statua sua sponte incedat. Veritas autem ita habet. Ejus temporis statuarii simulacra effingebant conjunctos habentia pedes, Daedalus vero divaricata altero pede faciebat. Quamobrem aiebant homines, fabrefactas a Daedalo statuas non consistere, sed ambulare.* Ita prorsus hunc auctorem explicat in Chronico Eusebius, quum sic scribit: *Ea, quae de Daedalo fabulae feruntur, qui visus est simulacra fecisse se moventia; primus enim omnium pedes statuarum a se invicem separavit, aliis conjunctim eos fabricantibus, ut Palaephatus memorat.* At Diodorus Siculus non in pedum tantum aut crurum, sed et in manuum atque oculorum efformatione Daedalum prae ceteris statuariis excelluisse tradit; cujus haec sunt verba libro quarto Bibliothecae: πρῶτος ὀμματώσας, καὶ διαβεβηκότα τὰ σκέλη ποιήσας, ἔτι δὲ τὰς χεῖρας διατεταμένας ποιῶν εἰκότως ἐθαυμάζετο παρὰ τοῖς ἀνθρώποις. οἱ γὰρ πρὸ τούτου τεχνῖται κατεσκεύαζον τὰ ἀγάλματα τοῖς μὲν ὄμμασι μεμυκότα, τὰς δὲ χεῖρας ἔχοντα καθειμένας, καὶ ταῖς πλευραῖς κεκολλημένας. *Primus vero cum oculos exprimeret, cruraque faceret divaricata, et manus exporrectas effingeret, merito admirationi erat ho-*

minibus; qui enim praecesserant ipsum artifices, statuas efformabant oculis non admodum patentibus, manibusque demissis atque ad latera affixis. Qui fictiles vidit Deorum icunculas, quae in veterum Aegyptiorum cadaveribus passim reperiuntur, aliaque Aegyptia signa, quales fuerint rudes antiquorum statuae, hic descriptae a Diodoro, plane intelliget. Credit tamen Scaliger in notis ad Eusebium, artificio quodam Daedali vere factum, ut statuae moverentur; id enim tradit Themistius de ligneo quodam Veneris simulacro, cui Daedalus motum indiderat, infuso argento vivo. Verum ut ut in sigillo aliquo minuto praestitum hoc fuerit, de grandioribus Daedali operibus haud facile dici id potest, et adhibenda potius est fides vetustioribus, quos laudavi, scriptoribus, quibus consonant Harpocration, Tzetzes, aliique. Nam quod ait Scaliger, hoc magis competere in Praxitelis et Phidiae signa longe expolitiora, quam illa Daedalea, hoc verum esset, si ii sculptores eodem, quo Daedalus, tempore vixissent; etenim soliti tantum homines rudia illa simulacra ob oculos habere, ex praestantia, quae subsequuta est, statuarum Daedali in admirationem ducti, ambulantes quodammodo illas videre visi sunt. Hinc proverbium exortum, quod ad consequentia saecula transmissum est, etiamsi nobiliores exinde progressus ars statuaria fecit. Picturam, sculpturamque, quemadmodum

et alias artes, gloriabantur Aegyptii apud se ortas: iidemque priscam illam ruditatem in Deorum statuis atque imaginibus mordicus retinuerunt, atque, ut veneratio quaedam inest antiquitati, ad mysteriorum arcana traducta res est; quasi non ex artis imperitia, sed ex rerum sacrarum disciplina, eo quo diximus modo prisci opifices simulacra Deorum effinxerint. Id quale sit, egregie ostendit Heliodorus, dum in suis Aethiopicis Homeri locum libri Iliados ex sacra Aegyptiorum doctrina explanare conatus est; Calasiridem enim libro tertio inducit de Diis loquentem, qui sese in homines transformant, sed eos facile a sapientibus dignosci ait, ac qua ratione id fieri queat, ita disserit: *ἀλλὰ τοῖςτε ὀφθαλμοῖς ἂν γνωσθεῖεν ἀτενὲς διόλου βλέποντες, καὶ τὸ βλέφαρον οὔποτε ἐπιμύοντες, καὶ τῷ βαδίσματι πλέον, οὐ κατὰ διάστασιν τοῖν ποδοῖν, οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ, ἀλλὰ κατά τινα ῥύμην ἀέριον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον, τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον, ἢ διαπορευομένων, διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. ἃ δὴ καὶ Ὅμηρος εἰδὼς, ἅτε Αἰγύπτιος, καὶ τὴν ἱερὰν παίδευσιν ἐκδιδαχθεὶς, συμβολικῶς τοῖς ἔπεσιν ἐναπέθετο, τοῖς δυναμένοις συνιέναι γνωρίζειν καταλιπών.* Quae sic Polonus interpres Latine reddidit: *Sed ex oculis notari possunt, cum continuo obtutu intueantur, et palpebras nunquam concludant; et magis etiam ex incessu, qui non ex dimotione pedum, neque transpositione existit, sed ex quodam impetu aëreo, et vi expedita findentium ma-*

gis auras, quam transeuntium. Quamobrem statuas quoque Deorum Aegyptii ponunt, conjungentes illis pedes, et quasi unientes. Quae etiam Homerus sciens, ut Aegyptius, et doctrina sacra instructus, occulte et involute versibus reddidit, relinquens intelligenda iis qui possent. Versus deinde Homericos apponit Heliodorus, eosque nonnihil explicat. Ejus tamen mihi opinio nequaquam probatur; puto enim poetam docere tantummodo homines voluisse, Deos, etsi humana effigie vulgo insignirentur, non ex eadem tamen, qua homines, materia fuisse; proinde augustiorem iis tribuit formam, staturam etiam, quae humanam excedat, et proprium quemdam sanguinem, qui nec vere sanguis dici queat, propriam etiam loquendi rationem, dum pluribus locis asserit, multarum rerum nomina alia apud homines esse, alia apud Deos. Diversum etiam vocis sonum dat illis Virgilius; quod Servius animadvertit ad eum locum libri VI. *Nec mortale sonans*; ubi ita loquitur: „ Alia enim vox numinis est, ut: *Nec vox hominem sonat:* item: *Vocisque sonus, vel gressus euntis.* Ex quibus colligere est, de incessu idem sensisse Homerum, ac proprium quemdam ambulandi modum Diis tribuisse, ex quo cognosci facile possent: quod et Maro imitatus est, cum ait de Venere: *Et vera incessu patuit Dea.* Nec vero expressisse, quinam esset hic ambulandi modus, quemadmodum nec docuit, quis esset sanguis

e Veneris vulnere manans, sat habens dicere, alium esse ab humano sanguine. Statius sane tantum abest ut Deorum incessum absque alterna pedum motione fieri existimaverit, ut potius aut grandiorem gressionem, quemadmodum loquitur alicubi Pacuvius, aut spissiorem iis tribuerit. Nam lib. X. Thebaidos de Virtute Dea e caelo lapsa, et Menoeceo sub Mantûs facie apparente, sic canit:

. . . . . . *tamen aspera produnt*
Ora Deam, nimiique gradus.

Servius vero cum ad illud Virgilianum de Venere, *Ipsa Paphum sublimis abit*, sic scribit: *divino incessu, id est sublimiter*, innuere videtur, Deorum incessum intelligi, cum sublime feruntur. Sed quicquid Homerus ea in re senserit, illud nobis compendifecit Heliodorus, quod Aegyptiorum doctrinam didicimus de incessu Deorum absque ullo pedum usu; quemadmodum membrorum omnium usum Diis adimebat Epicurus, teste M. Tullio. Ex eo, ni fallor, occasionem ludendi arripuit Apuleius libro Metamorphoseon ultimo, ubi Isidis pompam describit; quod enim in usu nunc est, ut aliquando pueros Angelorum Sanctorumque Martyrum habitu incedere faciamus in sacris pompis, quae *Processiones* appellantur, id et Ethnicis usurpatum fuit. Itaque Apuleius de iis, qui Aegyptiorum Deorum forma et insignibus ornati erant in pompa illa Isiaca, ita ludens loquitur: *Nec mora, cum Dei,*

dignati pedibus humanis incedere, prodeunt; quasi dicat, non eo, quo Dii solent, modo tunc ambulasse, hoc est absque alterno pedum motu, sed, ut Arnobiano more et verbis loquar, *anticipationibus itionum*, quia nimirum non divinis, sed humanis pedibus incedebant. Hujusmodi de incessu Deorum apud Aegyptios opinio permovit Theocritum, ut Deos appellaret νέποδες; quo epitheto pisces jure optimo, quibus nulli sunt pedes, insignivit Oppianus. Ac ne quis miretur, νέποδες vocari Deos, qui pedes haberent, is velim in mentem revocet, ἄποδες quoque dici hirundinum genus quoddam, quae pedum usu minus valent, quamvis pedibus non careant. Versus Theocriti hic describam ex XVII. Idyllio, ubi ait, Herculem laetari, nepotes suos Ptolemaei progenitores in Deorum numerum relatos esse:

Χαίρων υἱωνῶν περιώσιον υἱωνοῖσιν,
Ὅττι σφέων Κρονίδας μελέων ἐξείλετο γῆρας·
Ἀθάνατοι δὲ καλεῦνται, θεοὶ νέποδες γεγαῶτες.

Ille suos gaudet longa de stirpe nepotes,
Queis senio vegetos exemit Juppiter artus,
Aeternos dici divos, pedibusque carentes.

Casauboni interpretationi non assentior, qui cum νέποδες aliquando apud Graecos *nepotes* significari ex Eustathio didicisset, eo sensu hic accipiendum esse censuit; neque Heinsii, qui eo amplius, contra fidem veterum librorum, pro θεοὶ reposuit ἑοὶ,

non ferens συνίζησιν, qua vox θεοὶ eo loci unica syllaba effertur; siquidem indigna est Theocrito illa perissologia: *Gaudet Hercules suorum nepotum nepotibus, qui immortales dicuntur, cum sibi sint nepotes.* Quid enim opus illi erat, postquam Herculis nepotes appellasset, eosdem e vestigio nepotes denuo nominare? Oportuit viros doctos attentius animadvertere, cum Ptolemaeo Theocritum loqui, ut mirum non sit, si Aegyptium regem adulans, sacram Aegyptiorum doctrinam, quasi aliud agens, inserere, et quodammodo comprobare videatur. Sigilla, uti diximus, Aegyptiorum Deorum, quae ex conditis cadaveribus quotidie extrahuntur, et quae praeterea in antiquis monumentis extant, omnia videre est cum cruribus pedibusque compactis. Horum praecipue, quem eundem cum Apolline et Sole statuebant, eo positu solebant effingere; quod Pignorius meus luculenter docuit in Explicatione Tabulae Isiacae, qua in Tabula bis Horus indiscretis pedibus effictus est. Addit Pignorius veteris gemmae typum ex scriniis clarissimi viri Nicolai Fabricii Peirescii. Huic affines et duos ego apponam; alterum ex antiquo amuleto aeneo deaurato, quod Romae vidi, alterum ex gemma apud eundem Peirescium *(Desunt hi typi).* Nescio, an id voluerit Horapollo, cum de Aegyptiorum hieroglyphico hibernum solstitium signante ita loquitur: δύο πόδες συνηγμένοι καὶ βεβηκότες, δρόμον

ἡλίου τὸν ἐν ταῖς χειμεριναῖς τροπαῖς σημαίνουσι. Notant in Mss. legi δύο πολύποδες, quam lectionem tueri Pierius nititur. Sed scriptum fortasse fuit δύο Ὥρου πόδες, et tota sententia hoc modo reddenda: *Duo Hori pedes simul compacti firmatique Solis cursum, cum in solstitio hiberno est, significant;* ut praeter eam, quam ex Heliodoro ingessimus, aliam quoque magis arcanam significationem habeant Hori pedes indiscreti. "

Quaenam Dissertationibus Aleandri aliis argumenta sint, cognoscere tibi neque inutile neque injucundum facile fuerit: indicem itaque subjicio, titulis earum exscriptis.

Commodiani *veteris scriptoris versus quidam prolati et correcti: in iis quaesitum, quis fuerit* Deus invictus.

Sortes extenuatae. Asserta vulgata lectio in Livio *et* Obsequente. *Rejecta Lipsii opinio et correctio. Sacrorum voces.* Varro *pluries emendatus, et apud Varronem* Ennius *et* Naevius. — Utraque Dissertatio innotuit ex allatis a Fontaninio in epistola ad Magliabechium inter Epist. clarorum Venetorum ad eum T. I. p. 222. et a Philippo Turrio in Monumentis Veteris Antii p. 163. et 15. ed. Rom. 1700.

De Palladio et simulacro Dianae Ephesiae locus Apollodori, *et alius in* Minutio Felice *illustrati, et vulgata lectio a censoribus vindicata.*

Deorum lacrymae, Deorum sanguis. Nemesianus *correctus.* Ovidius, Homerus, *aliique scriptores explicati.* — Meminit Fontaninius in Epistola ad Magliabechium.

Apum praesagia. Virgiliani loci illustrati.

Provincia Venetiarum. Urbs Venetiarum. Cassiodoro, Paulo Diacono, Servio *aliisque scriptoribus lux data.* Strabo *emendatus.* (*)

De lectorum altitudine apud veteres. Virgilius, Silius Italicus, Valerius Episcopus Cemelensis, Plautus, Seneca philosophus, Servius *illustrati.*— Mentionem injicit Aleander Schediasmatis de tricliniarii lecti altitudine apud veteres a Ludovico Cresollio ad se scripti; quod in codice Veneto Marciano, olim Fontaninii, ineditum exstat, et Cresollium de hisce dissertationibus ita demum alloquentem objicit: „Faciendum tibi est, ut tua „illa Florida et Στρώματα, quae paras, luce dignis„sima, quam primum videamus, quae sine dubio „haec et mille talia variae eruditionis splendore „illustrabunt."

De pyrgo, seu turricula aleatoria. De fritillo. Quaedam hucusque non observata. Martialis, Juvenalis, Artemidori, Joannis Antiochensis *loci illustrati. Epigramma ex* Anthologia *emendatum. Defensa apud* Valerium Maximum *vulgata lectio,*

(*) Prodit in his Epistolis N. VI.

contra quam Justo Lipsio et Christophoro Colero visum. Equos apud Persas Soli sacros fuisse.

Illustrata et emendata Vetus Inscriptio. *Mos dedicandi imagines membrorum, quae sanitati redderentur. Caput in tutela Cybeles. Pedes in tutela Cereris.* Pindaro *lux data. Supplicare quid sit. Genuflexio. Mater* ἁπλῶς *pro Deûm matre. Locus* Jamblichi *declaratus et emaculatus.*

Artemidori *locus illustratus, aut verius emendatus. Burgus quid. Arthritidis curationes.* — Dissertationem a me acceptam edidit Joannes Gothofredus Reiffius T. II. p. 456. Artemidori Lipsiae an. 1805. denuo editi, et uberrime illustrati.

Locus in Aristotelis Poetica *emendatus et illustratus. Quid sit* κε, κίδος φωνή. *Rejecta Scaligeri et Castelvetri sententia.*

De agnitione ex paralogismo Theatri. Pervestigatum coniectatione argumentum fabulae in Tragoedia, quae inscribebatur Ulysses falsus nuntius. Aristoteles in Poetica *qua explicatus, qua emendatus.*

His Carmina Anacreontica Aleandri accedunt, hendecasyllabis inscripta *Nicolao Fabricio Petrisci Domino et in Senatu Aquensi Consiliario Regio:*

Cui dono veterem levem libellum,
Conscriptum teneris mihi sub annis,
Cum me addicta jocisque lusibusque
In primo nova flore veris aetas
Suasit ludere versibus minutis,
Quales scribere Anacreon solebat? etc.

Argumenta sunt: I. Ad Manes Anacreontis. II. Amandum esse, et bibendum. III. De Cupidine. IV. De Vino. V. De eodem. VI. De Auro. VII. Ad Cupidinem. VIII. Excusat fuscum colorem. IX. Unde carminum suavitas. X. De Avaritia Neaerae. XI. De forma Neaerae. XII. De aqua rosacea. XIII. In statuam Medeae. XIV. Ad Cupidinem. XV. De Oleo. XVI. De Amore puellarum. XVII. De se et Cupidine. XVIII. De Fistula. XIX. Ad Sodales. XX. Tumulus sui cordis. XXI. In Spem. XXII. Somnium. XXIII. De labiis Neaerae. XXIV. Bibendum esse. XXV. Idem. XXVI. Idem. XXVII. De oculis Neaerae. XXVIII. De monili Neaerae. XXIX. De flabello Neaerae. XXX. De Vino. XXXI. De Rosis. XXXII. De iisdem. XXXIII. De Culice. XXXIV. De suo furore. XXXV. Quam optet metamorphosim. XXXVI. De Vino. XXXVII. De Cicada. XXXVIII. De saevitia foeminarum. XXXIX. Ad Pictorem. XL. Lectoribus.—Carmen VII. Fontaninius edidit in libro suo inscripto *L'Aminta di Torquato Tasso difeso e illustrato*, Venetiis impresso an. 1730. p. 163. Carmen XXI. in lucem protulit Millinus, Vir eruditissimus, qui haec ipsa Carmina apud hominem privatum Aquis Sextiis reperit, T. II. p. 262. operis sui inscripti *Voyage dans les Départemens du Midi de la France*, an. 1817. typis Parisiensibus impressi.

Aleandri aliorumque Epistolae ineditae, ex autographis a Fontaninio sumptae, libro eodem meo

sequuntur, praesertim de Calendario Romano sub Constantio Imp. scripto, in bibliotheca Caesarea Vindobonensi servato; quod Jo. Georgius ab Herwart denuo in lucem emiserat, neque tamen pro merito illustraverat. Adjumenta ab Aleandro illo sibi quaerebat; quem tantam ea in re operam posuisse constat, ut, Allatio teste, (*Apes Urbanae* p. 124.) commentarium integrum in illud conscripsisset, ac propediem in lucem exiturum Pignorius polliceretur (*Magnae Deûm Matris et Attidis initia p.* 16. *ed. Venet.* 1624.) Nunquam id effectum fuisse, secus atque Fridericus Lindenbrogius et Jo. Albertus Fabricius putabant, recte censuit Christophorus Saxius, qui cum de Calendario illo ejusque editionibus in Praefatione in Jacobi van Vaassen Animadversiones ad Fastos Romanorum sacros, Trajecti an. 1785. impressas p. XXV. dissereret; editione tamen Vindobonensi an. 1781. cum annotationibus Xysti Schier, qua Furio Dionysio Philocalo tanquam auctori Calendarium tributum est, non sibi comperta; unam tantummodo, sed pulchram, Aleandri observationem, ex ejus apparatu pro Commentario conficiendo, a Philippo Turrio in Monumentis Veteris Antii typis editam, se novisse affirmabat. Sunt vero de Calendario Epistolae Aleandri ad Herwartum tres an. 1617. Herwarti ad Aleandrum septem ann. 1617. et 1618, Joannis Seldeni ad Nicolaum Fabricium Peire-

scium duae an. 1618. Laurentii Pignorii ad Aleandrum una, Jacobi Sirmondi ad eundem una an. 1617. Peirescii ad eundem tres Italice scriptae an. 1618. et 1620. Inter eas eminent Herwarti, Aleandri et Pignorii tres, quibus loca non pauca Calendarii obscura invicem explicant; ac Peirescii duae, quarum altera Calendarium passim illustrat, altera tum de eo, tum de quatuor aliis chronologiae veteris monumentis tunc ineditis, ab Aegidio Bucherio capite XIV. Commentarii in Canonem Paschalem Victorii Aquitani, Antuerpiae an. 1633. in lucem prolatis, et ipsis cum Calendario, ex opinione Balleriniorum fratrum (*Observat. in Opp. S. Leonis Pap. T. I. p. 496. ed. Ven. 1753.*) Furio Dionysio Philocalo velut auctori adjudicandis, exquisita eruditione is fuse disserit. Epistolae sex ad Aleandrum iis immixtae sunt, Hieronymi Bignonii duae an. 1617. Sirmondi una an. 1618. Pignorii una an. 1614. Peirescii duae an. 1620. eiusdem una ad Pignorium an. 1620. quibus scriptorum, gemmarum insculptarum, instrumentorum, inscriptionum, aliorumque antiquitatis operum explicatio argumentum est. Aleandri sequuntur, manu Fontaninii omnia:

Judicium pro libro anonymo (*Danielis Heinsii*) *Laus Asini* inscripto, adversus aliud Paganini Gaudentii de libro eodem.

Additamentum Hieronymi Aleandri, nomine Abrahami Bzovii, quod ad petitionem Ducis Bava-

riae inseri debuit alteri editioni Tomi XIV. Annalium Ecclesiasticorum eiusdem Bzovii, impressi Coloniae an. 1618.; quum idem Dux offensus fuisset propter ea, quae hic scripserat de Ludovico Bavaro, ideoque Joannes Georgius Herwartus contra eum edidisset Monachii *Ludovicum IV. Imperatorem defensum.* Inc. *Non minori etiam discordia* etc. Adscriptum est: „Haec omnia inseruit Bzovius „in Tomo XIV. Annalium rursus recognito, et edi„to Coloniae Agrippinae apud heredes Antonii „Boetzeri 1625. a col. 241. n. 12. usque a col. 250. „n. 15. sub anno 1314."

Lezioni quattro Accademiche. I. Intorno al culto del Dio Mitra in Roma. II. Delle Strene. III. Del Giudizio di Paride, e di mitologie di varia erudizione, che da esso si possono trarre. IV. Sopra la quarta Particella della Poetica d'Aristotile, in cui si conclude non potersi scrivere poesia in prosa.

Fontaninii apographo toto relato, notitiam Commentarioli Aleandri addere liceat, cui titulus: *De tribus servitutibus rusticis, Itinere, Actu, Via, deque veterum tum Vehiculis, tum Sedilibus Enarratio ad Legem VII. Digestorum Lib. IIX. Tit. III. De Servitutibus Praediorum Rusticorum.* Licet ineditus, innotuit idem Allatio, Fontaninio, Lirutio, aliisque, Philippo autem Bonarotio typis ut ederetur plane dignus videbatur (*Osservazioni sopra alcuni Medaglioni ec. p.* 115.): ac re quidem vera

est ille recto judicio conscriptus, antiqua eruditione refertus, inscriptionibus, nummis, imaginibus, instrumentis affabre calamo expressis exornatus. Constat id probe mihi, qui et ipsum jamdiu habeam accurate ac nitide scriptum in codice bibliothecae domesticae, aequali auctori, et fortasse eodem, quem Romae apud Marcellum Severolium exstitisse traditum ab illis est.

Jam vero ut finem scribendi tandem faciam, admonet epistolae modus, et urget sollicitudo de opera in re alia litteraria moleste, at necessario, insumenda. Tu vale, Harlesi mi, litteras juvare perge, meque, ut amas, ama.

Venetiis prid. Calend. Aprilis. MDCCCIX.

ANNOTATIO

Cum ob interitum Harlesii V. C. anno 1816, editione Theocriti infecta, meam ad eum epistolam deperditam fuisse iam putarem, secus accidit, et in illius poetae editionem Lipsiensem an. 1818. a Jo. Christ. Daniele Schrebero evulgatam inopinanter offendi. Eandem itaque hic denuo protuli, et annotationem adjeci.

Apographo Fontanini, nuper in bibliothecam Marcianam translato, aliena manu scripta continentur quaedam ad eum spectantia, nimirum: Lacrymae poeticae Aleandri aliorumque in obitum Aldinae catellae, typis editae Parisiis 1622. 8. Accedunt vero alia eodem de argumento carmina aliorum, scilicet Josephi Suaresii, Petri Marionii, Marcelli Joannetii, Jo. Jacobi Lamolae, Hieronymi Brivii, M. Antonii Romiti, et Hugonis Grotii; inedita omnia, quantum saltem vidi, cum praefatione Aleandri in collectionem

totam, itidem inedita. Magni viri carmen inusitati generis, eiusque in illud annotationem in lucem hic proferre haud ab re est.

HYPORCHEMA HUGONIS GROTII

Trepidula canis animula Styga subito petiit,
Niger ubi lacus, ubi nebula, ubi plaga tenebrica
Neque loca supera, nitidula, viridia repetet.
Ubi misera periit, here, tibi quis erat animus?
Lacrymula cita tibi cadit inhibita gemitibus;
Tuaque memoria vetera beneficia repetit.
Hominidoma, feridoma, Cypria, saligena Dea,
Tua video, tua malepia, trucia facinora:
Venerea iuga fugite, vaga genera quadrupedum,
Sine mare, vidua, sterilis agere bene potuit.
Amor aliud adigit. Ita geminipara perit.
Dolet herus et heris equa citharicrepa familia.
Procul agilia, fidicina Dea procul
Labiaque laticibibula, capitaque hederigera.
Quia niveola, nigrocula, cibipeta, celeripes,
Tenerula, placida catula nece sacrilega obiit,
Et in anima cineriflua sita lapide tegitur.
Satis age, satis: abeo, bona catula, bene vale.
Manet heri operibus alita tibi sacra celebritas.

Versus ex syllabis brevibus dumtaxat Graeci olim fecere, quorum fragmenta extant: sed versus breves, quo ultimae syllabae, quae communis, licentia citius rediret. Hyporchemata appellabantur, quod perpetua subsultatione exprimi solerent. Latinorum veterum unus, quod sciam, Serenus sequutus est, cuius versum hunc citat Martianus Capella, et Terentianus Maurus.

Perit, abit, avipedis animula leporis.

Post renatas litteras Julius Scaliger versibus satis longis, sed interdum obscuris, idem aggressus est hymno in Bacchum, Silenum, Nemesim, qui in Poematis ipsius extat. Nos id exemplum instaurare ausi sumus.

Annaei Sereni Versus a Grotio ex Terentiano Mauro allatus desiderium excitat editionis absolutae poematis eiusdem auctoris

de Litteris Syllabis Pedibus et Metris, quam Laurentius Santenius Amstelodamensis accuratissime parabat, opera quoque mea usus in collatione facienda primae editionis rarissimae Mediolani an. 1497; quae tamen Santenii editio typis Amstelodamensibus usque ad pag. 72, et 424, perducta, hoc ipso versu n. 1464 illustrato, anno 1798, editore demortuo, imperfecta remansit, oborta deinde spe complementum eius a Lennepio habendi, quod revera si factum fuerit me latet.

Antiquorum dicta de Daedalo ab Aleandro allata mihi memoria repetenti subit emendatio loci in Callistrati Descriptionibus Statuarum, quae desperata esse videbatur etiam viris eruditissimis summisque criticis Heyne et Jacobs: alter hic tamen nuperrime eandem veram et rectam protulit in Analectis Litterariis Frid. Aug. Wolfii, Berolini 1818. Vol. II. pag. 37 his verbis: *Unum addam eiusdem scriptoris* (Callistrati) *locum, foeda corruptum, ex initio Cap. VIII, p. 899. ubi antequam Olearius textum interpolare et depravare susciperet, sic legebatur: Δαιδάλῳ μὲν ἐξῆν ἰδεῖν τῷ περὶ Κρήτην πιστεύειν θαύματα, κινέμενα μηχαναῖς τὰ ποιήματα, καὶ πρὸς ἀνθρωπίνην αἴσθησιν ἐκβιάζεται τὸν χρυσόν. Non satis feliciter haec tentavi in Exercit. crit. T. II. p. 445. ἤδη in ἰδεῖν latere suspicatus. Nunc non dubito, in hoc quidem verbo nihil aliud latere, quam εἰ δεῖ: qua correctione* admissa, totus locus sic probabiliter restitui posse videtur: Δαιδάλῳ μὲν ἐξῆν, εἰ δεῖ τὰ περὶ Κρήτην πιςεύειν θαύματα, κινέμενα μηχανᾶσθαι ποιήματα, καὶ πρὸς ἀνθρωπίνην αἴσθησιν ἐκβιάζεσθαι τὸν ξύλον. Hunc ipsam tamen emendationem iam hausi ego ex codicibus Veneto Marciano saec. XIV. Laurentiano Florentiae et Parisiensi, et in Dissertatione Italica *de Callistrati Descriptionibus Statuarum et vitiosis lectionibus in eis*, ad Sodales Instituti Italici Venetiis ante quatuor annos habita, exhibui; ea tamen differentia, quod codices habent: τῷ περὶ Κρήτην πιστεύειν θαύματα . . . . τὸν χρυσόν. In Actis Instituti typis edendis dissertationi quoque meae de Callistrati Descriptionibus locus erit.

Venetiis VII. Id. Novembr. MDCCCXVIII.

IIII

De Inscriptione Graeca quae Venetiis in Museo Grimanorum exstat.

ALBINO LVDOVICO MILLINO

Archaeologiae in Gymnasio Parisiensi Professori.

Factum commode est, vir praestantissime, ut de monumentis Venetiarum antiquis cognoscendis apprime sollicitus, inscriptionem Graecam operi anaglypto Musei Grimanorum, sub muliere sedente ac viro stante, qui se mutuo manu dextera tangunt, positam, ante paucos dies inspexeris, idque mecum communicaveris; statim siquidem memoria subiit verborum quibus inscriptio constat, cum, Villoisonio rogante, accurate eadem olim exscripserim. Enimvero vir eruditissimus cum de inscriptionibus nonnullis perperam editis ad Academiam Parisiensem an. 1787 sermonem haberet (1), ac praesertim cum de Graecis in dialogi formam compositis anno 1801 dissereret (2), eam quoque attulit, rejectaque lectione ab Astorio, Sponio,

(1) *Mémoires de l'Académie des inscriptions*, etc. t. XLVII. p. 302.

(2) *Magasin Encyclopédique*, ann. VII. t. 2. p. 486.

et Paciaudio recepta, Maffeii auctoritate ductus, hanc veram esse statuebat

ΔΙΟΔΩΡΑ ΧΡΗΣΤΗ

ΧΑΙΡΕ

ΚΑΙ ΣΥ ΓΕ

Adhuc attamen anceps Villoisonius me sic alloquebatur: „ J'invite donc mon savant ami, M. „l'Abbé Morelli, à examiner de nouveau cette „inscription, si elle existe encore dans le Palais „Grimani (1). „ Responsum Villoisonio me tunc dedisse memini, quo de verbis marmori insculptis certior factus, quam hic exhibui, lectionem omnino probavit; atque adeo nullus ambigendi locus superest quin reddenda verba Latine sint: DIODORA BONA VALE ET TV QVOQVE, non ET TACE, vel ET ADQVIESCE, ut iis, quos dixi, placebat. Paciaudium Villoisonius praecipue reprehendit, quod in Diatriba, anno 1751 Romae impressa, qua Graeci anaglyphi interpretationem dedit, sententiam hanc suam de posteriore inscriptionis parte protulisset (2): *Autographum semel iterumque Venetiis in aedibus Grimanorum legimus; atque in eo extremae litterae hae sunt* ΣΥΣΤΕ. . . . . *quas tamen nonnullae aliae quondam comitabantur; ibi enim*

(1) *Magasin, l. c.*

(2) P. XXII.

erasum ac detritum marmor non obscure deprehendimus; utque auguror conjectura, inscriptio forsitan integrum verbum ΣΥΣΤΕΡΓΕ *prae se ferebat, videlicet* VALE ET ADQVIESCE; *quod ex verbo* στέργω, *addita, elegantis* πλεονάσματος *gratia, particula* συ, *tanquam ex themate, percommode derivatur, ac si heres, mortuum alloquens, dicat:*

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna.

Quidnam Paciaudio suadere potuerit ut vocem ΣΥΣΤΕ.... inesse diceret, ac marmor, quod satis integrum adhuc apparet, ibi erasum ac detritum se deprehendisse affirmaret, equidem non video. Tantummodo abest a voce ΔΙΟΔΩΡΑ littera I, quae scalptoris vitio nunquam exstitisse videtur; itidemque littera H in verbo ΧΡΗΣΤΗ secundo loco aliquantulum mutila est, incolumi tamen vocis lectione; neque de litteris aliis, quae ΣΥ ΓΕ olim comitarentur, suspicio legenti oriri posse videatur, cum spatium vacuum post verba illa, quae inscriptionem perficiunt, in marmore relictum appareat. At enim Paciaudium ipsum suimet reprehensorem ac etiam emendatorem quodammodo in his tenemus, quae post annos decem, cum Monumenta Peloponnesiaca commentariis Romae impressis explicaret, de salutatione ΧΑΙΡΕ scripsit (1): *Adeo autem verum est amicam salutatio-*

(1) T. II, p. 187.

nem precationemque amoris plenissimam fuisse, ut in inscriptionibus aliquando geminata reperiatur, aliquando etiam mortui introducantur loquentes, vicemque pari verbo rependentes iis qui illis bene esse exoptabant, ea formula: ΧΑΙΡΕ ΚΑΙ ΣΥ ΓΕ-VALE ET TV (1). Porro inscriptio ex Grutero, ad doctrinae suae fidem faciendam, a Paciaudio hic allata eadem omnino est, quam marmor Grimanorum habet; de quo quae in Diatriba dixerat non repetere opportunum ipse duxit, immo vero quae ibidem asserit auctoritate Bouhierii confirmans, quod a priore de inscriptione eadem sententia recesserat satis ostendit. Neque tamen postea Clemens Biagi defuit, qui priorem eandemque vitiosam Paciaudii lectionem prae alia probaret, in opere de Monumentis Graecis Musei Naniani, anno 1785, Romae typis edito haec scribens (2): *Itaque cogimur vel inviti lectionem* ΣΥ ΓΕ *omnino deserere, et hanc* ΣΥΣΤΕΡΓΕ *admittere.* At ΣΥΣΤΕΡΓΕ, tu quoque tandem vale.

Admonere me hoc loco posset facta verborum inscriptionis restitutio ut de ipso Grimanorum Museo dicerem, nisi ex luculentis testimoniis editis scriptorum plurium de signis, nummis,

(1) Vide *Gruterum*, p. DCCLXXVIII. *Fabrettum*, p. DCLXIX. *Bouhierium*, Explication de quelques Marbres antiques, *Inscript. IV.*

(2) P. 287.

gemmis caelatis, aliisque antiquitatis monumentis, magnam celebritatem idem jamdiu esset assecutum. Multa sane cum laude supellectilem Grimanorum pretiosissimam afferunt praesertim Panvinius, Aeneas Vicus, Stephanus Vinandus Pighius, Franciscus Scotus, Gruterus, Pignorius, Pancirolus, Gassendus in Vita Peirescii, Patinus, Sponius, Astorius, Montfauconius, Turrius, Zenus, Maffeius, Muratorius, Octavius Bocchius, Paciaudius, Pocockius, Cavaceppius, Winkelmannus, Hieronymus Franciscus Zannetius, Villoisonius; quorum nonnulli praestantiam singularem statuarum duarum insignium, Marci Agrippae et Augusti, declarant. Primus, quantum video, studium antiquitatis in suos intulit Dominicus Grimanus cardinalis, quem etiam tabularum ab artificibus eximiis pictarum divitem fuisse scimus ex earum denotatione ab Anonymo quodam anno 1521 facta, in indice a me ante annos tredecim Bassani typis Remondinianis edito, sub titulo: *Notizia d' Opere di Disegno nella prima metà del secolo XVI esistenti in Padova, Cremona, Milano, Pavia, Bergamo, Crema e Venezia, scritta da un Anonimo di quel tempo, pubblicata e illustrata* (1). Magnus ceteroquin Musei domestici amplificator Joannes Grimanus Patriarcha Aquileiensis fuit,

(1) P. 75.

in omni genere veterum signorum ditissimus princeps ab Aenea Vico dictus (1). Hujus munificentia ut Venetiae quoque Museum publicum haberent effecit, idem scilicet, quod anno 1597 Bibliothecae Regiae adjectum, adhuc patet: in quo, ut obiter dicam, marmor epigrammate graeco inscriptum, duas in partes ruptum, quarum altera in Museo publico erat, altera jam tum apud Grimanos remanserat, pridem in translatione Bibliothecae Regiae, Grimanorum liberalitate, integrum factum est. Epigramma Maffeius, qui primus alteram partem alteri respondere deprehenderat, in *Museo Veronensi* (2), et in *Antiquitatibus Galliae* (3) edidit; deinceps in *Thesauro Inscriptionum Muratori* (4) et in *Anthologiae Epigrammatibus* a Leichio, Reiskio, Brunckio, Jacobsio collectis alibique ab aliis repraesentatum est; neque tamen ejus lectio ad marmoris verba adhuc ubique constituta fuit. At ingens scribendi argumentum Museum Grimanorum est, multo vero ingentius praebent Musei omnes apud Venetos olim instructi; de quibus, quemadmodum de re tota Venetorum litteraria, tam multa indicia in adversariis habeo, tam multa memoria teneo, ut hoc

(1) *Comment. in C. Jul. Caes. Numismata, Venet.* 1562. p. 38.
(2) P. 375.
(3) P. 77.
(4) T. II. p. MDLXVII.

loco tacere, quam dicere, satius mihi sit. Pauca haec, Milline eruditissime, veluti collocutionum nostrarum de rebus litterariis monumentum habeto.

Ex Bibliotheca Regia Venetiarum IX Calend. Octobris MDCCCXIII.

Edita in collectione inscripta Magasin Encypédique par Millin, Avril 1814. p. 281.

ANNOTATIO

Marmor quod epigrammma fert iampridem in duas partes ruptum, altera alius generis refectum instauratumque omnino apparet. Maffeius prae aliis ad fidem exhibuit, praeterquam Versu II. in quo non est ΔΑΕΚΔΑΣ sed ΔΕΚΑΔΟΣ: versu 17 in quo non est ΕΥΧΗΝ sed ΤΕΡΨΙΝ, ut Leichius ex codice dedit: et versu 18, in quo non est ΕΝ ΙΙΑΣΙΝ sed ΕΙΠΑΣΙΝ; quae ipse Maffeius in Museo Veronensi suo loco annotavit. Adscriptum quoque eodem charactere est ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΜΑΓΝΗΣ ΠΟΙΗΤΗΣ ΕΓΡΑΨΕΝ: quae verba Maffeius attulit, ceteri praetermisere.

Marci Agrippae statuam, quae in aedibus Grimanorum stat, denuo ob oculos posuit Viscontius an. 1817. in Iconologia Romana T. I. p. 212. Tab. 8. n. 7.

Marmora duo Musei Grimanorum, quibus Pyladis ac Orestis facta quaedam affabre sunt expressa, Millinus Venetiis pridem degens primum aere caelari curavit, illustravitque libro inscripto *L' Orestéide*, anno 1817. Typis Parisiensibus impresso.

Venetiis VI. *id. decemb.* MDCCCXVIII.

Digitized by Google

V

De Leonis Baptistae Alberti Intercaenalibus eiusque scriptis quibusdam aliis, vel ineditis, vel nondum satis cognitis.

DOMINICO MARIAE MORENIO

Basilicae Laurentianae Florentinae Canonico

ET ALOISIO FIACCHIO

Academiae Furfureae Socio.

Equidem ab ineunte usque aetate tanta aestimatione tantaque benevolentia erga Florentiam vestram affectus ego sum, ob praesertim litterarum studia ibidem primum instaurata, longeque ac late inde per Europam propagata et diffusa, ut ea de causa post patriam, nullam civitatem aliam eodem amore sim ego unquam complexus. Accessit deinceps cum civibus nonnullis vestris studio litterarum illustribus utilis ac iucunda habita consuetudo, eaque et cupide inita, et constanter exculta, ex qua priscae benevolentiae sensus aucti mirifice sunt. At vero ut cum vobis, duumviri eruditione et ingenii suavitate praestantes, sum amicitia coniunctus, benevolentiae eiusmodi cumulus tantus

mihi factus est, ut eam declarandi cupiditate animus iam flagret. Itaque cum de operibus quibusdam vel ineditis vel nondum satis cognitis, insignis doctrina viri Leonis Baptistae Alberti, qui Florentiae ornamento singulari fuit, nonnulla forte fortuna mihi olim seposita, nunc publicanda se obtulissent, vobis hac epistola eadem inscribere lubet, cum ut voluntati meae honestissimae satisfaciam, tum ut multis vestris in me officiis quoquo modo respondeam, animique erga vos mei specimen exhibeam.

Nullae Leonem Baptistam Albertum latuerunt, quamlibet remotae litterae, quamlibet reconditae disciplinae, scripsit Angelus Politianus in epistola qua ejus de Architectura libros Laurentio Mediceo nuncupavit: quod viri doctrina judicioque eximie praediti testimonium eiusdem scriptis est luculentissime comprobatum. Iamdiu horum multa repetitis typis vulgata in manibus doctorum hominum sunt, ac alia quae inedita supersunt cupide conquiruntur: attamen id inani opera factum hucusque est potissimum quoad Intercoenalium libros, adeo ut pro deperditis ii haberi consueverint. Huiusmodi iacturam nemo non aegre ferat, qui ad haec Alberti verba in epistola ad Paulum Tuscanellium scripta, quam ineditam codex de quo dicturus sum habet, attendat: *Coepi nostras Intercoenales redigere in parvos libellos*,

quo inter coenas et pocula commodius possent perlegi. Tu quidem, Paule mi suavissime, amaras et quae usque nauseam moveant aegrotis corporibus medicinas exhibes: ego vero his meis scriptis genus levandi morbos animi affero, quod per risum atque hilaritatem suscipiatur. Ac meis quidem omnibus Intercoenalibus id potissimum a me videri quaesitum cupio, ut qui legerint nos cum facetos fuisse sentiant, tum sibi ad graves curas animi levandas argumenta apud nos non inepta inveniant. De opere fuso agi constat, illud quippe libris decem comprehensum fuisse a Hieronymo Massaino tenemus, qui cum Alberti opuscula varia saeculo XV exeunte typis ederet, sic scripsit: *Quam multiplici philosophia redundet Leo, morali praesertim, indicant decem Intercoenalium libri; quos totam non modo urbem hanc, sed omnem pene Italiam rimantes, uti canis sagacissimus investigando, maximo cum labore in unum tandem volumen redegimus.* Ex quo emendandum esse apparet textum Bartholomaei Facii De viris illustribus Florentiae an. 1745. impressum p. 13. ubi *Scripsit et de Architectura libros duos quos Intercoenales inscripsit,* legendum vero est *Scripsit et de Architectura libros decem, et libros decem quos Intercoenales inscripsit.*

Non parum ad intercoenales confabulationes investigandas incitabat perspecta Alberti in di-

cendo iucunditas, qua tantum valebat, ut, Politiano teste, dubium esse posset utrum gravior illi sermo fuerit, an urbanior. Ea profecto mens illi erat, quam in prooemio ad librum *Momus* inscriptum sic prodit: *Itaque sic deputo. Nam si quispiam olim, qui cum legentes ad frugem vitae melioris instruat atque instituat dictorum gravitate rerumque dignitate varia et eleganti, idemque una risu illectet, iocis delectet, voluptate detineat, quod apud Latinos qui adhuc fecerint nondum satis extitere; hunc profecto inter plebeios minime censendum esse. Cuperem in me tantum esset ingenii, quantum in hac una re proculdubio difficili assequenda adhibui studii et diligentiae.* Ingenii festivitatem, qua pollebat Albertus, eius in sermone sales ioci atque dicteria ab anonymo synchrono Vitae ipsius scriptore allata quoque declarant. (*Scriptor. rerum Italic. Muratorii T. XXV. p.* 299.)

Jam vero cum ante annos undeviginti expenderem codices manuscriptos Matthaei Aloysii Canonici Veneti, in Societate Iesu olim sacerdotis, qui locupletissimam codicum eiusmodi collectionem in patria instruxerat, unum longe pretiosum, licet non satis accurate, anno 1487. Bononiae exaratum, offendi, qui Leonis Baptistae Alberti opera varia continebat, studiose illum excussi, potiora in adversariis, uti solebam, annotavi: quod omine sane bono feci, anno siquidem superiore et is

cum meliori maiorique collectionis illius parte ad augendam bibliothecam Academiae Oxoniensis jure emptionis translatus est.

In eo erant INTERCOENALIUM Liber primus, in quo Dialogi continebantur inscripti: Leo et Libripeta. Virtus et Mercurius. Philosophus de Fato et Fortuna. Patientia et Necessitas. Felicitas.

Liber secundus in quo Philargyrus et Apollo. Parsimonia et Micrologus. Gallus. Vaticinium. Paupertas. Nummus. Pluto. Divitiae.

Liber quartus in quo Defunctus, Dialogus nimirum inter Polytropum et Neophronum apud inferos habitus; et hic quidem urbanitate et lepore quodammodo praestat.

Neophronus e vita vix egressus, corporisque onere levatus, antequam ad inferos descendat, funus sibi instructum spectat, laudationem de more mendaciis ineptiisque refertam audit, quemadmodum uxor filii fratres familiares amici mortem suam ferant, explorat, hosque omnes in ea simulate dolere, ac de bonis relictis partiendis, et lucris ex eius interitu comparandis tantummodo sollicitos cum cognovisset; Polytropo ingens argumentum praebet commonstrandi, homines in hac vita de suorum benevolentia saepissime sibi falso persuaderi, nimiamque curam de rebus temporalibus inaniter agere. Quae infortunia litteratis viris post mortem, quoad eorum bi-

bliothecas, scripta propria, artiumque elegantiorum monumenta identidem eveniant, quibus solatiis sint ea ferenda, ob oculos ponit. *Affines*, inquit Neophron, *meam in bibliothecam irrumpunt, atque illic pro virili dedunt se, non ad codices legendos, ut ipsi solebamus; sed ad praedam seligendam, atque ad omnes quae inerant reconditas res eliciendas. Omnia pervolvuntur et perturbantur, cistae omnes resolvuntur; nihil abditum, nihil occultum, nihil adeo absconditum et obstructum est, quod ipsum studio furandi boni affines mei non attingant, evellant, eruant, atque in lucem perducant. Omnia prosternuntur: mea mihi bibliotheca miserandam captorum castorum speciem admodum praebebat: libri ipsi olim tersi et compti, nunc provoluti, et ab iis latronibus agitati suum casum lugere quodammodo videbantur. Hei mihi, tum inquam, infelix cellula, quae plenissima quietis et tranquillitatis pro me semper fuisti, quas nunc perturbationes iniquissimas pateris: ex qua ipse summam voluptatem solitus eram capere, quas nunc mihi maximas molestias praebes?... Haud equidem ulla eius rei mihi poterat in mentem suspicio incidere; meis enim moribus aliena ingenia pensitabam. Atqui modo neque hoc mihi tam fuit acerbum, quod viderim asportari codices, adversaria, ac libros omnes, resque omnes domesticas rapi ac distrahi; quam fuit illud*

longe acerbissimum, ob quod ita sum dolore affectus, ut vix possim eius rei memoriam sine lacrymis animo repetere. Nimirum libris etiam a se scriptis exitium per affines ipsos illatum intelligit; de quo haec postea: *NEOPHRON. Excidit ne tibi memoria, qua ipse vigilantia laboribus atque assiduitate me ad conscribendos annales dederim? POLYTROPUS. Teneo id, teque laude ex ea re dignissimum puto, quem ad omnes memoria dignas res investigandas colligendas atque perdiscendas nunquam vidi esse non solertissimum atque diligentissimum.... NEO. Frustra, mi Polytrope, frustra omnia. POL. Ad quid? NEO. Quoniam existimaram meis vigiliis futurum, ut amplissima praemia redderentur: lucubrationes meas posteris non ingratas fore opinabar: quin demens etiam coniectabar illis nostris commentariolis meum immortalitati nomen commendasse. ....Recitavi quo pacto affines mei, viri probatissimi, robusto animo ad praedam rerum nostrarum, dispositis custodiis, proruperint. POLY. Narrasti bibliothecam illos introisse, omnia perturbasse, asportasse codices. NEO. Equidem istuc ipsum effecere. Aderant enim illic et Graeci et Latini complures ornati argento libri, splendidi, lautissimi; quos iidem ipsi affines cum in medium omnes posuissent, is qui erat aetate grandior, auctoritate praestantior, sic orsus est loqui: Si quando apud vos justitia aequitasque*

valuit, socii, hoc tempore maxime vos, ut modestissimi sitis, exhortor: quam rem si estis facturi, ut debetis, sinite me hanc copiam librorum dividere; nam curabo, ne cui plus quam alteri, sorte obveniat. Placuit sententia: idcirco pares librorum tumuli pro praedonum numero constituuntur, ac demum, ut sors tribuit, suam quisque partitionem sortitus est.... Divisis codicibus, eadem, ac illa, lege signa, tabulas pictas, ac huiusmodi reliquias, quibus oblectari solitus eram, res meas in medium congerunt atque partiuntur. Aderant quoque illic libelli Commentariorum meorum inchoati, impoliti, atque idcirco a praedonibus neglecti. . . . At forte fortuna illic etiam vasculum quoddam miri operis, quam artificiosissime elaboratum, aderat, quod ex Alexandria usque amicus meus Crantor, plenum unguenti odoris suavissimi, paucis ante diebus mihi dono deferri iusserat; quod quidem cum satis illi demirati essent, lege quoque dividundum unguentum protulerunt. . . . Divisum in partes ut unguentum exciperent, meos Commentariorum libellos, o facinus indignum! dilacerarunt. . . . POLY. Adsis, Neophron, adhibe huc animum. Ego etsi hoc perperam ab tuis affinibus factum esse non negem; non tamen est quin te ineptissime hic agere diiudicem, ubi hoc loci non desinas animo isto esse moeroribus et tristitia gravi; liberas enim atque omni curarum pondere va-

cuas hic esse mentes oportet. Exuenda igitur tibi haec humanorum casuum acerba recordatio est, eoque magis, quod in pari causa sunt permulti litterati optimi, et probatissimi veteres auctores, quorum opera simili iniuria defecere. Audisti quot apud Graecos, quamque multa ac laudatissima librorum volumina in medium protulerint; quorum quidem omnium aetate nostra vix nomina exstant. Adde iis nostros omnes Latinos, qui prope infiniti infinitos, eosdemque optimos libros edidere. Quot poetae comici, tragici, elegi, satyrici, heroici; Appius, Ennius, Caecilius, Lucilius, Attilius, Trabea, Licinius, Turpilius, Gallus, Naevius, Luscius? Sed quid omnes aut poetas, aut historicos, aut oratores memorem, Accium, Nigidium, Caecilium, Caecinam, Cassium, Lucullum, Laberium, Afranium, Pacuvium, Sulpitium, Hortensium, Cottam, Fabium, Catonem, Pisonem, Fannium, Vennonium, Clodium, Coelium, Acronem? Quid alios innumerabiles scriptores? Quid rhetores apud Ciceronem collectos recitem? Quid de Pomponio Attico, deque Varrone illo, qui de iis rebus omnibus conscripsere, quae hominem scire, aut investigare fas est? Praetereo jurisconsultos: non recito illas, ut ita dicam, legiones litteratorum, qui in omni genere doctrinae copiosissima et praeclara posteris praecepta litteris reliquere. Te vero, noster Cicero, etiam praetereo, cuius libri de Gloria, de

Consolatione, de Republica, deque ceteris philosophiae laudibus (f. partibus) tam ab omnibus desiderantur. Tu demum, mi Neophron, cum ita esse omnia cognoveris; hic tibi casus aequo et placato animo ferendus est, minimeque acerbe accipiendum est, si quid tibi suo vetere more vel fortuna, vel hominum malitia detraxit; non enim casu et iniuria aliorum, sed turpitudine et culpa sua commoveri sapientis est. Multa deinceps de hominum in hac vita degentium vitiis, incommodis, et erroribus huiuscemodi stilo accedunt.

Erat praeterea in codice, ex alio Intercoenalium libro sumptus, Dialogus *Anuli* titulo inscriptus, quo imagines et emblemata anulis duodecim, ad varios humanae vitae casus exhibendos, excogitatis, litteratorum etiam invidia et infelicitas commonstrabatur. Collocutores, Minerva, Genius, Spes, Consilium, Philoponius. Idem exstat et in codice Ms. Regio Parisiensi n. 6702. De aliis Leonis Bapt. Alberti opusculis ineditis eo in codice scriptis haec annotabam:

Epistolae septem Epimenidis Megasthenis, et Cratetis nomine Diogeni scriptae.

Responsiones sunt epistolis totidem Diogenis Cynici a Francisco Arretino Latine, iamque pridem sub illius nomine vulgatis; hac epistola praemissa:

Leo Baptista Francisco Arretino s. p. d.

Places tu quidem oratione soluta, et places versu, habeoque tibi gratias quod Diogenem nostris familiarem effecisti. Nam cum istas eius Epistolas ex te legissem, nescio quomodo ita factum sit, ut ex tempore illico unis atque item alteris respondere aggressus sim; neque destiti uno spiritu scribere, usquedum visus quoque mihi sum eo cum impetu respondisse, quo ipse scripserat. Adeptus itaque sum iucundam lucubratiunculam. Quod si ita tibi homini eruditissimo videbitur, dabis hoc nostrae amicitiae, ut quorum animus coniunctus sit, eorum etiam lucubrationes uno in codice coniungantur. Vale.

Cavendum hic est, ne Franciscus Grifolinius Arretinus Mariotti filius, Epistolarum Diogenis e Graeco interpres, vir humaniorum litterarum, unus idemque habeatur cum Francisco Accoltio itidem Arretino Michaelis filio, jurisconsulto celeberrimo eiusdem aetatis: quod plerumque creditum, Tiraboschio et Fabronio, ne verum putarent, suadere nunquam potui, licet iis hac de re diu multumque scripserim; id autem recte cognovit Io. Franciscus Boissonade V. C. in Dissertatione de Epistolis Diogenis a Grifolinio Latine redditis, quae est in collectione inscripta *Notices et Extraits des Manuscripts, Paris an.* 1817. T. X. p. 122. Grifolinius Epistolas Diogenis Bruti et Phalaridis no-

mine vulgatas, Joannis Chrysostomi Homilias in Joannem, Excerpta ex Philocalia Origenis, ac etiam Homeri quaedam Latine reddidit, et alia nonnulla ex ingenio edidit suo. Luculenta de eo testimonia Bartholomaei Facii (*De Viris illustribus p.* 15.) Poggii Florentini (*Praef. Dialogi contra Hypocrit.*) Theodori Gazae (*Praef. in Ælianum de instruend. acieb.*) Ludovici Carbonis, a quo *Fons Litterarum* appellatur (*Orat. funeb. in Guarin. Veron. in Giornale di Modena T. XX. p.* 266.) Joviani Pontani, a quo dictus est *genere nobilis, doctrina eximius, aetate provectior, cui Romana non parum debet lingua,* et alia quoque aliorum vulgata sunt.

Non satis tamen patet Antonium Panormitam Neapoli degentem in epistola ad Alphonsum Siciliae Regem, qua eum rogabat ut privilegium Arretino concessum manu sua firmaret, scripsisse quod *morum sanctimonia et doctrina singulari is esset, et cum musis habitaret* (*Panorm. Epist. ed. Venet.* 1553 *p.* 101.) Neque itidem constat de his a Panormita in epistola ad Theodorum Gazam scriptis: *A Francisco nostro Arretino V.C. nuper ad nos pervenerunt quaedam Epistolae Diogenis Cynici, mirifice et de suo more traductae; nobis proinde maxime gratae quod mores ac ritus Christianorum ad unguem exprimere videntur,* neque de his in eiusdem epistola alia ad Gazam: *Tu*

nunc aliquid de Francisco Arretino nostro audias, quo tibi tertia haec epistola cum voluptate legatur. Venit ad Ferdinandum Regem Otto quidam generosus et ornatus vir a Pontifice legatus, cumque nostris studiis delectaretur, in primis illi curae fuit, ut dicebat, me et visere atque amplecti. Ultro citroque multa; at demum sermo recidit in Arretinum. Cum ego deplorassem doctissimi viri fortunam, tenuem quidem ac exilem, morderemque Pontificis Pii impietatem, qui cum doctus haberi cuperet, doctum non curaret, neque respiceret virum, immo nec margaritam, quam Romae haberet, pretiosissimam recognosceret, sed in sterquilinio iacere sineret; haec ille ad verbum omnia Pontifici retulit, Romam reversus. Quo factum est ut rubore suffusus Pontifex, statim Arretino conferret officium oppido quam lautum atque magnificum. Vixit itaque Arretinus beatus quoad vixit Pius; nam successor eius Paulus et Arretinum spoliavit, et collegas eiusdem officii reliquos. Deiectus denuo ad infortunium amicus noster, mea fortassis opera et studio sublevabitur. Quomodo, inquies? Eram ego Stabiis, cum illuc transitus daret Cardinalis Theanensis Legatus a latere Anconae Pontificem petens: illi additus sum comes a Regina una cum Henrico regis filio, donec Stabiis ageret. Multa quotidie inter nos agitabantur, tum quae ad rem publicam, tum quae ad privatum officium pertine-

rent. Incidit et in consilia nostra Arretinus, qui in omni sermone meo, ut vides, versatur, obversabiturque donec iterum fortunatus evadat. Quid plura? Constitutum est, quamprimum ut praenominatus Cardinalis in Apulia regem conveniret, sua ipsius auctoritate meoque iudicio persuaderet regi ut virum singularis ingenii atque doctrinae ad se evocaret, evocatum mercede, ac honoribus augeret: quod postea factum esse intellexi ab Alexio ipsius Arretini necessario e Roma proxime adveniente. Tu propterea gaude." Ne inanis opera in textu hoc toto hic exscribendo a me posita fuisse videatur, sciendum est sumptum eum esse ex libro rarissimo inscripto *Regis Ferdinandi et aliorum Epistolae ac Orationes utriusque militiae* etc. Qui equidem liber in prima eius èditione partem secundam conficit voluminis impressi in Vico Equensi anno 1586 in 8.vo cuius prima pars nullo pretio digna hunc titulum fert: *Joannis Mariae Saccentis a Rudiano Peligno Partium orationis instructio etc.* usus autem ego sum exemplari partis secundae, quae sola pridem typis recusa est, ac vix quidem et ipsa obvia, in qua allatae Panormitae epistolae pag. 375. 410 exstant.

Quod autem attinet ad scripta propria quae Albertus pro antiquis ficta, ut superius relatas Graecorum Epistolas, emittebat, exemplo insigni quoque est Comoedia *Philodoxios* inscripta, sub

nomine Lepidi Comici, ab Aldo Manutio iuniore absque ulla de Alberto auctore suspicione, Lucae an. 1588 typis edita. Auctorem antiquum habitum fuisse, donec Albertus se indicavit, Franciscus Bocchius in eius Elogio his tradit (*Elog. Florentin. Lib. II. p.* 51): *Fecit Comoediam eo praecipue stilo, ut a priscis poetis scripta crederetur. Multis igitur exemplaribus dilatata, ut Leo volebat experiri, probata est; quam deinde ut priscam, et priscis temporibus scriptam, typisque, sine ullius auctoris nomine, Aldus Manutius edendam curavit. Rem ita se habere credidisset posterior aetas, nisi eandem in suo libro a Leone notatam Joannes Albertus Cortonae Episcopus Baccio Valorio, ut factum fuerat, indicasset.* Hinc fides habenda omnino videtur etiam anonymo scriptori Vitae Alberti scribenti, quod *et suis in opusculis aliorum titulos apposuit, et integre aliorum famae elargitus est.*

Muscae laus. Latine opellam editam nunquam vidi, sed Italice tantum ex interpretatione Bartoli cum aliis Alberti opusculis; absque tamen hac epistola ad Christophorum Landinum, quae ad initium est.

Leo Baptista Albertus Landino s. p. d.

Incideram in febriculam, et languore affectus per meridiem accubabam, amicis aliquot astantibus, cum ad nos litterae Guarini allatae sunt, et cum iis Musca Luciani, quam meo nomine Lati-

nam effecerat. Litteris igitur et Musca perlectis facti hilariores: Utrum, inquam, vestrum est quispiam, qui pro nostro more velit, me dictante, scribere? Cum illico sumpsissent calamos, paulo praemeditatus, hanc edidi Muscam tanto cum cachinno, ut et ea hora febris taedium cum sudore evaporato solveretur. Postridie Marcus noster petiit eam ut ad te mitterem, quo et tu rideres. Congratulor, et habeo gratias muscis, quarum ope convalui.

Amator. Adversus amorem virtute vacuum disputatio est, inter Alberti opera a nemine relata.

Pontifex, Dialogus ad Carolum fratrem.

Paulus Albertus ordinis minorum Episcopus Asculanus, et Albertus Albertus Episcopus Camerinus, postea Cardinalis, de munere et officiis Episcopi colloquuntur.

Elementa Picturae. Italice primum scripta sunt, deinde Latine reddita, neutra lingua impressa, Theodoro autem cuidam, omni doctrina praestanti, fortasse Gazae, missa cum epistola in qua Albertus: *Cum tres libros de Pictura meos tibi placuisse saepius affirmasses, postulassesque uti et Elementa haec, quae a me pridem Etrusca essent lingua, meorum civium gratia edita, facerem Latina, tibique visenda mitterem; volui expectationi tuae amicitiaeque nostrae abunde quoad in me esset satisfacere:* Caetera quae de opere inno-

tuerunt Pompilius Pozzetius dedit in Laudatione Alberti an. 1789. Florentiae edita; fusa illa quidem et eruditione referta, cui tamen accedunt nova non pauca, quae hic afferre mihi licuit.

STATUA. Latine scriptus ab Alberto liber est, nonnisi tamen ex Italica Cosmae Bartoli, quem exemplar Latinum aliquanto auctius habuisse apparet, versione typis prodiit cum aliis auctoris opusculis, et cum Leonardi Vincii opere de Pictura praestantissimo.

DESCRIPTIO URBIS ROMAE. Antiqua Romae monumenta Albertum cupide inspexisse, ac etiam Laurentio Mediceo, Donato Acciaiolio et Bernardo Oricellario in iis cognoscendis ducem fuisse, horum postremus prodidit (*De urbe Roma etc. p.* 839. 1077) : urbis autem totius Chorographiam fecisse, qui de eo scripsere nonnulli equidem tradunt, scriptum tamen se vidisse nemo prodit. Ac de Roma antiqua id factum ex aliorum fide Mazzuchellius refert, quod de nova, quantum saltem compertum est, intelligere oportet. Ad opusculum hoc ipsum omnium testimonia respexisse videntur, cuius indicium ex hoc principio quodammodo paret.

Murorum urbis Romae, et fluminis, et viarum ductus, et lineamenta, atque etiam templorum, publicorumque operum, et portarum, et trophaeorum situs collocationemque, atque etiam montium

finitiones, atque etiam aream quae tecto ad habitandum operta sit, uti esse per nostra haec tempora cognovimus, ex mathematicis instrumentis diligentissime annotavi; eaque excogitavi, quo pacto quivis vel mediocri praeditus ingenio bellissime et commodissime pingere, quantacunque voluerit in superficie, possit. Hoc ut facerem, induxerunt amici litterati, quorum studiis favendum censui. Ex tota re quae collegerim, haec sunt. Murorum veterum nulla uspiam vestigia apparere: viarum etiam perpaucas haberi integras: tum a centro urbis, hoc est a Capitolio, portam distare nullam plus cubitos VI. CXL. et murorum ambitum adstructorum stadia non excedere LXXV. Haec ita esse, ex partium dimensione, atque ex ipsa pictura apparebit.

Horizontem, seu circulum, quo urbis alicuius picturam comprehendere quis velit, in partes seu gradus octo et quadraginta inter se aequales tributum, quorum singuli sint in quatuor minuta divisi, conficiendum Albertus docet. Postea Radium, seu regulam rectam construendam tradit, in partes seu gradus quinquaginta aequales distinctam; quorum singuli minutis quatuor itidem constent. Radio demum Horizonti admoto, uniuscuiusque loci aut aedificii mensura quomodo sit agenda demonstrat; exemplo urbis Romae allato, cuius loca et aedificia nominatim, cum graduum

minutorumque, iuxta inventum suum, enotatione, tabulis accurate compositis, ob oculos ponit. Instrumenti illius partem utramque pictura in codice exhibet: et Horizon quidem idem omnino est, quem Albertus commonstrat in opusculo inscripto *Delle Piacevolezze delle Matematiche*, a Bartolo edito, quo loco scribit (p. 246): *Io voglio alle cose dette di sopra aggiungere un certo instrumento atto, come da per voi penserete, grandemente a questi bisogni, e massime a chi adoperasse il trabocco e simili macchine da guerra: ma io lo adòpero a cose molto dilettevoli, come è a misurare il sito di un paese, o la pittura di una terra; come feci quando io ritrassi Roma.* Alias dimetiendi rationes ab aliis postmodum adinventas fuisse nemo nescit: sua tamen laus Alberto, qui viam sibi fecit, utique manet. Exemplar integri opusculi saec. XVI scriptum est in codice Veneto Marciano, olim Apostoli Zeni.

De Equo Animante ad Leonellum Ferrariae Principem.

Scriptus libellus est ab Alberto cum Ferrariam accessisset, deque statua aenea equestri, quae Nicolao III. Principi an. 1451 posita fuit, exquisita sententia eius fuisset. (*Borsetti Hist. Gymn. Ferrar. Tom. I. pag. 40.*); namque in epistola nuncupatoria scribit: *Nam cum instituissent cives tui parenti tuo equestres magnificentissimis impensis ad*

forum statuas ponere, et in ea re optimi artifices contendissent; me, quod fingendo quoque nonnihil delecter, tuo iussu arbitrum cognitorem delegere. Mihi idcirco iterum atque iterum opera ipsa miro artificio facta spectanti in mentem incidit, ut non modo de pulchritudine et lineamentis, verum etiam de omni equorum natura et moribus diligentius cogitarem. Quae ad generationem curam praestantiam et usum equorum attinent auctor affert, ac de medicina quoque eorundem pauca ab aliis minime dicta adiicit. Vel praecipuis de Alberto scriptoribus libellus solo titulo innotuit, quanquam Michaelis Martini Stellae cura Basileae anno 1556. editus fuerit, facta eius inscriptione Arnoldo Arlenio et Nicolao Stopio, quorum opera libellus fuit inventus.

Alberti scriptis ineditis tractatus etiam quidam Artis Ærariae, a nemine, qui eius opera enumeraverit, relatus, est accensendus; si quidem sincera ea sunt verba epistolae Hieronymi Aliotii Arretini synchroni scriptoris ad Nicolaum Corbizum Canonicum Florentinum: *Tractatum insuper Artis Ærariae editum per Baptistam Albertum gratum est, te instruente, rescire; quem fortasse nancisci aliquando dabitur* (Epist. Tom. I. pag. 408. edit. Arretii 1769.)

Annotatiunculas sequentes manu Leonis Baptistae Alberti scriptas in extrema pagina codicis

olim Naniani LXXXII, nunc Bibliothecae Marcianae Venetiarum qui Brutum Ciceronis continet, hic edere placuit:

Ricciardus nepos meus natus est Florentiae in domo avi mei D. Be. die prima Januarii 1429, *die Dominica in nocte hora* 9 2/3.

Maria orta est Venetiis in domo Andreae Iuliani die Dominica horis 24, *die* 6 *Maii* 1431.

Andreas ortus est Bononiae in domo Lupari ad 27 *Aprilis Dominica hora undecima* 1432.

Ginevra orta est Bononiae in domo R. de Saliceto die 18 *Junii horis* 16 2/3 *in sabato* 1434.

Die Veneris hora XX 3/4 *quae fuit dies* 26 *Augusti* 1435, *complevi opus de Pictura Florentiae.*

Die 25 *Februarii anno* 1439, *die Iovis hora* 22 2/3 *fuit datum insigne Capelli Cardinalatus Domino Al. de Albertis.*

Venetiis Idib. Nov. MDCCCXVIII.

VI

ANTONIO ISAACO SILVESTRE DE SACY

Linguarum Orientalium in Gymnasio Parisiensi Professori

ET

IOANNI FRANCISCO BOISSONADE

Litterarum Graecarum in Gymnasio Parisiensi Professori.

Ea sunt humanitatis et benevolentiae in me vestrae edita testimonia, ut leviter ac inepte facere quodammodo mihi videar, si hac una epistola vobis inscripta iis respondere me posse putem. Animum tamen ad hoc facit argumenti, quod ei inest, dignitas et praestantia; tum quod quarum gentium nomina, rebus diutissime et praeclare gestis, immortalitati sunt commendata, earum initia quae fuerint nunquam non cupide ac lubenter legimus; tum quod ad laudes Venetorum mirificas tractandas amor dulcis patriae me identidem impellit et urget. Itaque Dissertationem ineditam de Provincia et urbe Venetiarum a Hieronimo Aleandro juniore accurate conscriptam, honoris ei conciliandi causa, ut ipsa vestro nomine exornata prodeat, constitui. Id vero gratum quoque fore omnino puto, quod ab auctore profecta sit, cuius recor-

datio sine laude isthic esse nequit. Aleander namque in Galliis cum Francisco Barberino Cardinali Pontificis Romani legato clari nominis laudabiliter aliquandiu commoratus, a vestratibus magna in existimatione est habitus, cum eorum nonnullis, Thuano, Peirescio, Sirmondo, Morino, Bignonio, Suaresio, aliisque eruditissimis viris amicitia coniunctus; adeoque grata et iucunda eius recordatio futura est: idem vero praecipuo loco hic mihi est habendus, quod artem criticam in antiquorum scriptis emendandis illustrandisque, tantopere a vobis excultam, cum paucis Italis suo tempore bene calluit; eam scilicet disciplinam, quam Franciscus Petrarcha, litterarum vindex ac sospitator, in emendatione Livii apud nostrates instauravit, ac Itali plures eius exemplum sequuti diu multumque exercuerunt, donec ad exteras nationes ea ingenti studio translata, apud nos omine malo iam friget. Hoc itaque consilio permotus ac incitatus, hanc ad vos epistolam dare non vereor. Ut autem eadem benevolentia, qua semper in me fuistis, esse pergatis, valde opto ac precor; quandoquidem vos ob doctrinae atque eruditionis laudem eximiam nunquam suspicere nec ego desinam.

Venetiis XV. Cal. Decemb. MDCCCXVIII.

HIERONYMI ALEANDRI IVNIORIS

De Provincia Venetiarum deque urbe Venetiarum, Dissertatio inedita qua lux datur Cassiodoro, Paulo Diacono, Servio aliisque scriptoribus, et Strabo emendatur.

„Qui per geographicos Strabonis libros orbem „terrarum peragrare sibi proponunt, si Graecae „linguae ignari, ductore utantur Xylandro Stra„bonis interprete, quam vereor, ne per devia in„terdum ferantur, seque aliorsum perduci sinant, „quam quo pergere in animum induxerant suum; „ea enim est hominis incuria ac negligentia, ut „semitas a Strabone impressas sponte declinare, et „consulto consilio compluribus locis aberrare vi„deatur. Inter cetera si Xylandri verbis loquen„tem Strabonem audiamus, prope est ut Vene„tiarum urbem vetustissimis temporibus in mari „Adriatico fateamur conditam fuisse; hoc enim „modo verba Geographi Lib. IV. ubi de Venetis „loquitur, qui in Gallia sunt, interpres Latine „reddidit: *Hos ego Venetos existimo Venetiarum „in Adriatico sinu esse auctores.* Non ego tam „ignarum temporum, tam in historia hospitem „Xylandrum censeo, ut nescierit non potuisse „Strabonem de Venetiarum urbe loqui, quae qua„dringentesimo et quod excurrit post eius aeta-

„ tem anno aedificari coepta est, sed de populis
„ Venetae regionis, quae longo tractu ad mare
„ Adriaticum iacet, quum et alibi id clarius enun-
„ tiet. Verba Strabonis Lib. IV perperam a Xylandro
„ Latine reddita ea sunt Τούτους οἶμαι τοὺς Οὐενετοὺς
„ οἰκιστὰς τῶν κατὰ τὴν Ἀδρίαν. Marcianus Heracleota
„ πρὸς τὴν Ἀδρίαν dixit, et Ælianus Lib. XVII de
„ Hist. Animal. περὶ τὴν Ἀδρίαν οἰκοῦντας Ἐνετοὺς, et
„ Plinio *Adriatico mari apposita Venetia* appel-
„ latur. Iustinus tamen Venetos nominat *incolas*
„ *superi maris*, ut non solum continentem, sed et
„ insulas Adriatici sinus comprehendat; nisi for-
„ te *accolas* scripsit Iustinus, quod mihi quidem
„ magis probatur. Quocirca neque Venetiae pro-
„ vinciam plurium numero efferre, neque illam
„ in sinu tantum Adriatico, hoc est ipso in mari
„ claudere, Xylander debuerat. Regionem sane
„ Strabo intelligit conterminam mari Adriatico,
„ in qua Adria adhuc exstat, oppidum olim no-
„ bile, quodque ipsi mari nomen indidit. Plinius
„ Lib. III. Cap. XVI. *Atrianorum paludes, quae*
„ *septem maria appellantur, nobili portu oppidi*
„ *Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare ante*
„ *appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Tuscorum
„ oppidum Adriam appellat, quia Tuscorum fuit
„ colonia, quod Livius etiam alicubi scribit, nisi
„ me fallit memoria. De ea sic Strabo Lib. V.
„ Ἐπίτερπον δὲ, καὶ Ὀρδία, καὶ Ἀδρία, καὶ Οὐκέτια, καὶ

„ ἄλλα τοιαῦτα πολισμάτια, ἧττον μὲν ὑπὸ τῶν ἑλῶν „ ἐνοχλεῖται. μικροῖς δ᾽ἀνάπλοις πρὸς τὴν θάλατταν συνῆ- „ πται. Τὴν δ᾽ Ἀτρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασὶν, ἀφ᾽ „ ἧς καὶ τοὔνομα τῷ κόλπῳ γενέσθαι τῷ Ἀδρίᾳ, μικρὰν „ μετάθεσιν λαβόν. Integrum apposui locum, ut ma- „ culas eluerem in vocibus Οὐκετία et Ἐπίτερπον, „ quod et Casaubono in mentem venisse video. „ Ptolemaeus scriptum exhibet Ὀυκέντα: Vaticani „ codices habent Ὀυικέντια et Ἰουκέντια; mendose „ omnes, nec sane dubium, quin scribendum sit „ Ὀυικέτια, legitur enim *Vicetia* et apud Plinium, „ et in antiquis Inscriptionibus. Pro Ἐπίτερπον re- „ ponendum Ὀπιτέργιον, quemadmodum apertis „ litteris exaratum est apud Ptolemaeum. De Opi- „ terginis nota historia est ex Caesare et aliis. „ Porro facilis fuit transitus O in E, quumque „ scriptum esset ΓΙ, adhaerentibus forte invicem „ ambobus elementis, conflatum est Π. Verba Stra- „ bonis, quae nuper attulimus, sic Latine sonant: „ *Opitergium vero et Ordia, et Adria, et Vicetia,* „ *et alia id genus oppidula minus a paludibus infe-* „ *stantur, et parvis subvectionibus mari coniungun-* „ *tur. Adriam ferunt illustrem fuisse urbem, unde et* „ *sinui Adriatico nomen exigua mutatione litte-* „ *rarum factum sit.* Sed quaenam fuit urbs *Ordia* „ a Strabone nominata? (*Lege* Κονκορδία, *Concor-* „ *dia*). Eius nulla prorsus est mentio apud scri- „ ptores. Num suspicandum fuisse in Cenomanis

„ oppidum quod hodie appellatur *Orzi*? Solet „ enim *D* Latinum in *z* Italicum degenerare. Sic „ in voce simillima quod Latinis *Hordeum*, hodie „ Italis *Orzo*. Porro Cenomani sive pars eorum „ Venetis accensebatur: quod et Ptolemaeus, ni „ fallor, innuit. Fuit et alia urbs Adria in Piceno „ ad mare Adriaticum sita, quae nomen hodie- „ que retinet, ac nescio, an magis hanc, quam „ Venetam Adriam Iustinus intelligat, quum Lib. „ XX ita scribit: *Adria quoque mari proxima*, „ *quae et Adriatico mari nomen dedit, Graeca* „ *urbs est*; videtur enim *Illyrico mari* proximam „ dicere, quia ex adverso Illyrium prospectat. Ea „ sane a Romanis ducta fuit colonia, teste Livio „ Lib. XXXVI. et Plinio Lib. III. quemadmodum „ Veneta Adria a Tuscis, ut dictum est. Eiusdem „ et Pomponius Mela, et Antoninus in Itinerario „ aliique meminere. Igitur nisi Xylander prudens „ sciens fallere voluit, quod minime credendum, „ supinam eius incogitantiam excusare nemo po- „ terit, qua Venetiam provinciam in sinum ipsum „ Adriaticum coniicere et concludere, ac Vene- „ tias appellare non est veritus.

„ Non me quidem clam est, eandem provinciam „ Venetias plurali numero dictam reperiri: verum „ id forsan post Constantini Magni tempora, „ quemadmodum et Italiam ipsam appellatam in- „ venio Italias in Notitia utriusque Imperii: divi-

„ serat enim Italiam Praefectus Praetorio, eamque
„ duobus Vicariis regendam commiserat, Vicario
„ Vrbis, qui Romae, et Vicario Italiae, qui Medio-
„ lani sedem habebat. Sic Venetiae regio dispertita
„ fuit in superiorem et inferiorem : id ex eadem
„ Notitia utriusque Imperii elicere est, ubi haec
„ legimus: *Procurator gynecii Aquileiensis Ve-*
„ *netiae inferioris.* Nescio vero an Straboni fides
„ sit habenda, qui Libro V. fuisse olim Aquileiam
„ extra Venetiae fines iis verbis asserit: ἔξω δ'ἐςι τῶν
„ Ἐνετικῶν ὅρων ἡ Ἀκυληΐα ; siquidem Carnos, in qui-
„ bus Aquileia, Venetiae semper accensitos fuisse
„ autumo. Sic apud Aethicum in Cosmographia
„ *Venetias* scriptum videmus, non *Venetiam*, ubi
„ Oceani Occidentalis provincias enumerat. Ve-
„ tus item lapis Neapoli sic habet. M · MAECIO ·
„ MEMMIO · FVRIO · BALBVRIO · CAECILIA-
„ NO · PLACIDO · C · V · PONTIFICI · MAIORI ·
„ AVGVRI · PVBLICO · P · R · QVIRITIVM · QVIN-
„ DECEM · VIRO · SACRIS · FACIVNDIS · COR-
„ RECTORI · VENETIARVM · ET · HISTRIAE
„ etc. et alius Mutinae : L · NONIVS · VERVS · V ·
„ C · BIS · CORRECTOR · APVLIAE · ET · CALAB ·
„ VENETIARVM · ET · HISTRIAE · COMES · etc.
„ Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani :
„ *Carolum Francorum Regem inter ceteras pro-*
„ *vincias tradidisse Pontifici Maximo universum*
„ *Exarchatum Ravennatium sicut antiquitus erat*,

„ *et provincias Venetiarum, et Histriam.* Eadem
„ prope verba habentur etiam apud Leonem Epi-
„ scopum Ostiensem L. I. Chronic. Casin. Cap. IX.
„ ubi de concessione loquitur a Pipino Rege fi-
„ liisque Pontifici Romano facta. Sed clarissime
„ omnium Paulus Diaconus Lib. II. Hist. Longo-
„ bardor. sic scribit: *Venetia enim non solum in*
„ *paucis insulis quas nunc Venetias dicimus, con-*
„ *stat; sed eius terminus a Pannoniae finibus usque*
„ *Abduam fluvium protelatur. Probatur hoc An-*
„ *nalibus libris, in quibus Pergamus civitas esse*
„ *legitur Venetiarum. Nam et de lacu Benaco*
„ *in historiis ita legimus: Benacus Venetiarum etc.*
„ Quam civitatem Pergamum vocat, ea *Bergo-*
„ *mum* est, id enim nominis adhuc servat. Anna-
„ les vero, et quas laudat Historias, post Con-
„ stantini tempora fuisse confectas mihi persua-
„ deo; neque enim ante illud aevi *Venetiarum*
„ nomen facile reperire est. Quod ait Diaconus,
„ ad Pannoniam usque protendi Venetiam, vide-
„ tur et Histriam sub Venetia fuisse complexus;
„ quia sub administratione cum Correctoris, tum
„ Consularis iunctim positae, unica censebatur
„ provincia, ac proinde Servius Timavum fluvium
„ Histriae tribuit. Sic enim loquitur ad primum
„ Aeneidos ex Schedis Fuldensibus: *et per omne*
„ *littus Venetiarum mare certis horis et accedere*
„ *per infinitum, et recedere. Timavus autem est*

„ *inter Aquileiam et Tergestum.* Et ad Eclogam „ VIII. dubius est Venetiae ne, an Histriae assi- „ gnet. *Sive,* inquit, *Venetiae flumen transcendis,* „ *nam Timavus fluvius est Venetiae, vel Histriae.* „ Alibi, nempe III. Geogr. Venetiae fluvium esse „ fatetur iis verbis: *Iapidia pars est Venetiae dicta* „ *a Iapido oppido. Sallustius: primam modo Iapi-* „ *diam ingressus. Huius est fluvius Timavus.* Car- „ norum certe regionem designat, quae hodie Fo- „ rum Iulii a Colonia dicitur. Illyricum certe et „ Dalmatiae partem esse Pannoniae Lib. IV. Pli- „ nius asserit, ut et Noricum Ptolemaeus: sed „ et Plinius ipse Lib. XXXVII. proximos Panno- „ niae Venetos facit. Ex locis sane quos protuli- „ mus, palam est Servium nunc Venetiam, nunc „ Venetias nuncupare. Venetias quoque ad pri- „ mum Georgic. dixit: *pleraque pars,* inquit, „ *Venetiarum fluminibus abundans lintribus exer-* „ *cet omne commercium, ut Ravenna, Altinum;* „ *ubi et venatio, et aucupia, et agrorum cultura* „ *lintribus exercetur.* Ex huiusmodi Venetiarum „ appellatione prodit se cuius sit aetatis C. Sem- „ pronius, qui libellum scripsit de Divisione „ Italiae, si tamen fidem merentur, qui supposi- „ titium fortasse foetum pro legitimo et antiquo „ nobis venditarunt. Eius haec sunt verba. *Nam* „ *usque Atrianum flumen, qui limes est Volturre-* „ *norum, et Venetiarum, tenuere Hetrusci: et*

„ *Venetias principio quidem Phaetontaci, postea*
„ *Troiani eisdem mixti coluerunt etc.*

„ Apparet ex iis quae in medium protulimus
„ quam sint decepti, qui Sancti Ambrosii Episto-
„ lam ad Ecclesiam Vercellensem suspectam ha-
„ buerunt ob Venetiarum appellationem, quae iis
„ verbis continetur: *Sola nunc ex omnibus Li-*
„ *guriae, atque Æmiliae, Venetiarumque, vel ce-*
„ *teris finitimis Italiae partibus huiusmodi eget*
„ *officio.* Sed et frustra est qui Scrutinium Liberta-
„ tis Venetae italico idiomate conscripsit, dum
„ in Cassiodori Epistola XXIV. Lib. XII Variarum,
„ quae de Provincia verba habentur, ad solam
„ Venetiarum Urbem traducere nititur. *Venetiae,*
„ ait Cassiodorus, *praedicabiles quondam plenae*
„ *nobilibus* etc. Cui non apertum Provinciam haec
„ verba respicere, et ipsas fortasse tunc deletas
„ urbes, aut magna ex parte devastatas, Aquile-
„ iam, Concordiam, Opitergium, Altinum, Pata-
„ vium, alias, quas minime dubium percelebres
„ olim fuisse, et nobilibus plenas viris? Ii nobi-
„ les quotquot barbarorum furorem potuerunt
„ evadere, ad maritima confugerant, et quoniam
„ in domunculis degebant per paludes et loca
„ insularum varia lateque dispersa constructis,
„ delitescebat veluti sepulta eorum nobilitas, nec
„ emergere poterat, Gothis adhuc Italiam pre-
„ mentibus; donec, Deo favente, in unum con-

„ venientes pulcherrimam condiderunt Civitatem
„ et Rempublicam longe praestantissimam con-
„ stituerunt; quodque commune prius erat toti
„ provinciae Venetiarum, tandem nomen sibi
„ vendicarunt, utpote qui ex primis praecipuis-
„ que Venetiae urbibus, tam superioris, quam
„ inferioris, profecti illuc essent. Caeterum Cas-
„ siodori aetate nondum id nomen ex provincia
„ in urbem transmigraverat, nondum praeclarae
„ libertatis fundamenta erant iacta, quae magnum
„ postea decus Italiae peperit: eapropter non *Tri-*
„ *bunis Venetiarum, sed Tribunis Maritimorum*
„ Epistola illa conscripta est; unaquaeque enim
„ insularum, quae Adriatico sinu comprehende-
„ bantur, suum habebat Tribunum, ut et Vene-
„ tarum rerum scriptores fatentur. Eas insulas
„ *domicilia* Cassiodorus appellat *per aequora lon-*
„ *ge patentia*, ne quis crederet illas tantum in-
„ telligere quae parvis euripis discretae erant, e
„ quibus quasi in unum connexis unica urbs con-
„ flata est. Iustinianus quoque Imperator Vene-
„ tias appellat ipsam Provinciam initio Novellae
„ XXIX. Τὸ Παφλαγόνων ἔθνος ἀρχαῖόν τε, καὶ ὀκ
„ ἀνώνυμον καθεςὼς, ἀλλὰ τοσῦτον, ὡς καὶ ἀποικίας
„ μεγάλας ἐκπέμψαι, καὶ τὰς ἐν Ἰταλοῖς συνοικίσαι βενε-
„ τίας, ἐν αἷς δὴ καὶ Ἀκυληΐα πόλις τῶν ἐπὶ τῆς ἑσπέρας
„ μεγίςη κατῴκιςαι, καὶ βασιλικὴν πολλάκις δίαιταν δε-
„ ξαμένη; hoc est *Paphlagonum gens antiqua, nec*

„ *sane ignobilis olim extitit, in tantum ut magnas de-*
„ *duxerit colonias, et in Venetias Italorum com-*
„ *migraverit, ubi Aquileia condita fuit, urbs omnium*
„ *in Occidente maxima, quaeque Imperatorum non*
„ *raro fuit domicilium.* Quin et Iordanus sive Ior-
„ nandes Ravennae Episcopus in Historia de re-
„ bus Geticis ita scribit: *Qui recto cursu de Cor-*
„ *cyra atque Helladae partibus navigat dextrum*
„ *latus, primum Epirum, dein Dalmatiam, Libur-*
„ *niam, Histriamque, et sic Venetias radens pal-*
„ *mula navigat.* Et apertius alio loco: *Hesperiam*
„ *tendit, rectoque itinere per Sirmas ascendit vi-*
„ *cinas Pannoniae, indeque Venetiarum fines in-*
„ *gressus, ad pontem Sontium nuncupatum castra-*
„ *metatus est.* Nemo non videt regionem hic de-
„ signari, quae Forum Iulii, uti diximus, nunc
„ appellatur. Idem Iordanus quum de Attila verba
„ habet: *primaque aggressione Aquileiensem ob-*
„ *sedit civitatem, quae est metropolis Venetiarum,*
„ *in mucrone vel lingua Adriatici posita sinus.*
„ Nec vero negandum Venetiarum nomen pau-
„ latim subductum fuisse ad insulas Adriaticas,
„ quod iam suo tempore obtinuisse Paulus Dia-
„ conus loco, quem supra attulimus; ut demum
„ nobilissimae civitatis, uti videmus, proprium
„ est factum. “

Prodit haec dissertatio juxta Fontanini apographum, de quo Epistola N. III.

VII.

De Joanne Dondio ab Horologio Medico Patavino, deque monumentis antiquis Romae ab eo inspectis, et scriptis eiusdem quibusdam ineditis.

PHILIPPO SCHIASSIO

Bononiae in Ecclesia Maiori Canonico et in Gymnasio Archaeologiae Professori.

Certe quidem te non latet, Schiassi suavissime, me ob summam archaeologiae peritiam, qua polles, ac Latine scribendi elegantiam qua cum paucis excellis, permagni te facere; ob animi vero tui dotes eximias, in te amando atque colendo nemini concedere. Hanc in te meam voluntatem publice declarandi occasionem nancisci semper equidem optavi; ea tamen nunquam non defuit, vel, ut verius dicam, eam amplecti nunquam sum ausus, quod ad te nonnisi profecta ab ingeniis subactis, inter quae meum profecto non est, mittenda esse visum mihi fuerit. Aliud attamen consilium modo capiendum aliae caussae suadent. Itaque meam hanc de Joanne Dondio epistolam tibi mittere, atque in observantiae et benevolentiae

monumentum, nomini tuo inscriptam evulgare constitui; ea etiam causa permotus quod in ipsa de Obelisco Vaticano, de cuius translatione tu scite atque erudite nuper scripsisti, quaedam ego attulerim, ex quibus eundem medio aevo deiectum, pauloque post denuo erectum fuisse, secus atque probatiores antiquarii unanimiter sentiant, nunc primum compertum fieri videtur. Horum praecipue quae ratio habenda sit, tuum esto iudicium: tibi opinionem meam, qualiscunque ea sit, lubentissime et aperte subiicio: animo autem tibi deditissimo me id facere omnino persuasum habeto.

Venetiis Non. Decemb. MDCCCXVIII.

Non minus vere, quam magnifice Franciscum Petrarcham de Joanne Dondio amico suo scripsisse (*Lib. XVI. Epist.* 3 *ad Franciscum Senensem edit. Venet.* 1501. quod *tam excelso tamque capaci pollebat ingenio, ut ad sidera esset iturus, nisi eum Medicina tenuisset,* ii praesertim intelligent qui Medicinae Philosophiae et Astronomiae laudibus eundem eximie floruisse compertum habeant; ac praeterea alias, neque illas quidem vulgares, litteras in eo fuisse noverint, quibus instructus haudquaquam haberi consuevit. Morum doctrina, monumentorum antiquorum notitia, poesi italica excultus idem fuit; quae *quamvis,*

uti Celsus aliam ad rem inquit, *non faciant medicum, aptiorem tamen medicinae reddunt (Lib. I.)* atque ut inter sui ordinis doctos excellat, efficiunt.

Ac re quidem vera plerisque morbis corporis medicinam cumulate adhiberi non posse, nisi animi quoque aegritudines simul curentur, ex veterum recentiorumque sapientum unanimi doctrina ab experientia comprobata plane iam constat. Aristotelis, Hippocratis, Galeni aliorumque hac de re placita patent; neque minus in promptu sunt quae hoc ipso de argumento doctissimi viri postea edidere.

Quod ex monumentorum veterum accurata inspectione et inscriptionum lectione ad artem medicam uberius cognoscendam adiumenta singularia suppetant, medicorum illustrium opera ostendunt; nimirum Hieronymi Mercurialis de Arte Gymnastica, in quo et de situ ad aedificia salubriori, deque instrumentis chirurgicis, Io. Antonii Sicci et Andreae Baccii de thermis; Thomae et Casparis Bartholinorum de Puerperio veteri; quibus libris eiusmodi alios Petri Bellonii, Laurentii Iouberti, Marsilii Cagnati, Thomae Reinesii, Ioannis Rhodii, Caroli Patini, Caroli Sponii, Danielis Guillelmi Trilleri, Car. Frid. Hundertmarkii, Antonii Cocchi, aliorumque alios addere facile esset; adeo ut nemini mirum accidere debeat Thomae Bartholini consilium componendi operis

inscripti *Antiquitates homini medico necessariae*, cuius apparatu postea igne absumpto, in Dissertatione de bibliothecae incendio an. 1670 Hafniae impressa, illius conspectum auctor ipse dedit.

Poesis studium ad ingenii fecunditatem amoenitatemque comparandam, ad eloquii et stili ornamenta augenda, dotesque alias viro litterato dignas assequendas mirifice prodesse, laudes eius plurimae oratione versuque scriptae uberrime declarant; neque medicos eadem instructos maiori prae aliis in pretio esse, eorumque operam iucundiorem haberi nemo profecto nescit. Ipsos quoque praecipuos veterum de re medica scriptores Hippocratem et Aretaeum elegantiam ab Homero hausisse exploratum habemus; quorum ille ἀνὴρ ὁμηρικὸς τὴν φράσιν ab Erotiano dictus est (*Glossar. Hippocr. Praef. p. 7. ed. Lips.* 1780); huic Homeri lectionem valde profecisse Trillerus commonstrat (*Opuscul. Medic. Philolog. T. I. p. XXI.*), quod itidem de Galeno aliisque facile apparet. Splendida posita opera est in hoc argumento tractando a Thoma Bartholino, Dissertatione De Medicis Poetis Hafniae anno 1669 typis edita, multoque splendidior poni modo posset: nunquam vero negligenda quae sunt a summo in utraque facultate viro Hieronymo Fracastorio ad Hieronymum Amaltheum, medicum itidem et poetam sui temporis insignem, scripta; eos nimirum qui poe-

sim flocci facerent, et cum arte medica recte coniungi non posse putarent, magno in errore versari, immo ad scientiam ullam cognoscendam, ulliusve artis mechanicae elegantias cumulate gustandas ineptos illos esse qui ingenio poetico carerent, cum Andrea Naugerio aperte profitetur. (*Fracastor. Oper. edit. Comin. anno* 1739. *Tom. II. p.* 105. 106.) Ad animum hisce studiis excolendum Petrarchae, qui in iisdem eminebat, exemplo et familiaritate Dondius adductus, monumenta eius rei certissima scriptis tradidit ac post se reliquit; at ea inedita vixque nota in codice chartaceo eiusdem aetatis, ab ipso auctore olim possesso, fortasse uni mihi videre obtigit apud Rubertum Papifavium Albertini filium, ex primaria apud Patavinos nobilitate, patriciumque Venetum, qui singulari me comitate complectebatur: quo quidem in codice scripta Dondii inedita, sine indicio alio, ordine, quo hic refero, ipse legi.

Epistolae duodetriginta de argumentis diversis a Dondio ad varios scriptae in codice sunt, nimirum:

1. Petrarchae. Eius consuetudinem semper sibi prodesse ad morum philosophiam excolendam testatur; quod consentaneum esse doctrinae Senecae in epistola ad Lucilium 108 de conversatione cum philosopho animadvertit. *Ex te,* scribit,

fateor, quotidie fructum novum abiens refero, et praesens non levia oblectamenta percipio.

2. Joanni de Aquila Physico. Patavii die XIX Iulii (1374). Mortem Petrarchae, quae nocte praecedenti repente contigerat, nuntiat ac vehementissime conqueritur. *Obiit vir profecto omni aetate unus e paucis atque spectabilis; at nostra, me iudice, unus, toto quaerendus nunc orbe, nec uno reperiendus angulo, cunctis memorandus saeculis atque colendus. Gravem hunc casum, flendum humano generi orbe universo terrarum, amarius flere iure tenetur Italia, cuius, nec immerito, longe erat amantior, et pro parte eius omni in causa ferventior; tu tamen in primis et ego, ad quos singularis benevolentiae et dilectionis erat affectio.....Decessit vir haud dubie eximius, optimus, iucundissimus, amantissimus nostri: sed ne quidem prorsus esse desiit resolutus in nihilum; quinimo esse melius coepit, ab exilio revocatus in patriam, si modo mortalis huius vitae officia, venerata semper ac diligentissime culta Religio, indefessus in honestis probatisque tantum studiis labor, cuiuspiam praemii in alia fidem habent vita.*

3. Antonio de Leniaco singularis ingenii viro.

4. Argentino (*Arsendino*) de Forlivio et Paganino de Sala Patavino Legum Doctoribus.

5. Guillelmo de Ravenna Physico.

6. 7. Geminiano de Cesis Physico Marchionis.

8. Gaspari (*de Broaspinis*) de Verona.....*Materiam obtulisti, in qua et ego haesitasse me memini, dum illius tui meique humanorumque generaliter amicorum praestantissimi et efficacissimi formatoris Annaei ad Lucilium epistolam percurrebam.*" Caspari roganti de iis quae Seneca ad Lucilium Epistola septima scripsit de spectaculis Romanorum, tum quoad rem, tum etiam quoad verba, satis bene, ut temporibus illis, eadem explicat; arte quoque critica usus, ob textum ab exscriptorum ignorantia, emendatorumque audacia plerumque corruptum.

9. Bartholomaeo de Maziis de Verona egregio Physico.

10. Francisco Petrarchae Patavii 14 Octob. anno 1370. De victus ratione a Petrarcha servanda epistola copiosa, quam ex codice superius denotato, non ex Marciano, ut editio fert, a me descriptam cum accepissent praeceptores Seminarii Patavini, alia Petrarchae adiecta, ad Dondium anno 1808 typis dederunt.

11. Lombardo a Serico Civi Patavino.

12. Fratri Guillelmo de Cremona Theologo. Antiquorum ingenia vel praecipuis novorum praestantiora fuisse demonstrat, tum quoad litteras, id etiam Petrarcha luculenter attestante, tum quoad artium elegantiorum opificia conspicua,

allato quoque exemplo sculptoris tunc insignis ab admiratione monumentorum veterum in stuporem abrepti.

13. Antonio de Leniaco Civi Veronensi.

14. Ioanni de Cremona Artium Liberalium Magistro.

15. Amico intimo, viro egregio et insigni.

16. Bernardo de Casellis Civi Patavo.

17. Guillelmo Aromatario.

18. 19. Paganino de Sala Legum Doctori et Militi. His equitis dignitatem Paganino nuper collatam gratulatur, sic tamen ut ex laurea in iure Civili, qua is cum laude iam fruebatur, praestantiorem honorabilioremque reputet.

20. Nicolao de Alexio Protonotario Domini Paduae Procancellario.

21. 22. Andreolo de Arisiis Cremonensi. Vituperat et irridet inopiam librorum, praesertim de morum philosophia, in bibliothecis Galliarum, quam ex litteris Arisii ibidem degentis cognoverat.

23. Fratri Guillelmo Episcopo Papiensi.

24. Albertino de Salso Physicae praeceptori.

25. Iacobino de Angarano de Vincentia. Edita cum opere Dondii de Fontibus Calidis Agri Patavini *ad Magistrum Iacobum Vicentinum*, inter Tractatus variorum de Balneis Venetiis an. 1553 impressos p. 94.

26. Artium et Medicinae Professoribus regen-

tibus in Studio Paduano. Librum a se compositum mittit, quem sic denotat: *Accipite Tractatulum Galeni occultam seriem explicantem in distinctione dispositionum corporum humanorum, quam in libro Microtegni sub brevitate restrinxit, reales differentias inter illas, praeterquam in paucis, assignantem, ultra id quod expositores alii hactenus voluere transeuntes, in multis tamen cum differentiis respectivis.*

27. Viro egregio, scientia multiplici et virtutibus praedito Magistro Guidoni *(de Bagnolo)* Venetias. Paduae 26 Dec. 1366.

28. Pasquino de Cappellis Civi Cremonensi.

De Pasquino Io. Galeatii Vicecomitis Mediolani Principis Cancellario disseruit Petrus Lazerius in Miscellaneis ex libris Mss. Collegii Romani Soc. Jesu T. I. pag. 103. Epistolas a Dondio scriptas ad diversos Pasquinus petierat, cui suadere Dondius conatur quod tanti eae non erant, ut conquiri mererentur: deinde multa scribit de pravis hominum aetatis suae moribus, philosopho apprime digna.

Sententiis ad morum doctrinam spectantibus refertae epistolae sunt, utpote ab auctore compositae, qui in operibus Senecae legendis assidue versabatur, ac etiam eius ad Lucilium Epistolas annotationibus illustraverat, a Casparino Barzizio in suo ad easdem Epistolas Commentario, manu scripto a me viso, allatis.

Quam vehementi monumenta antiqua inspiciendi cupiditate Dondius flagraret, profectio eius Romam ea tantum de causa ut veterem novumque urbis statum cognosceret, manifeste declarat. De ea indicium nullum publice factum exstat: attamen legi ego in codice manuscripto, de quo dixi supra, Annotationes Dondii ipsius de praecipuis antiquitatis monumentis in itinere et in commoratione Romana, anno circiter 1375, uti coniicio, curiose a se inspectis, quibus quidem annotationibus fidem initio sic fecit: *Haec retuli dum de Roma redii in tabellis scripta.*

Non esset operae pretium Dondii Annotationes, in quibus et vitia scripturae sunt, hoc loco exscribere, cum scriptores eruditissimi, qui monumenta eadem multo accuratius referant et uberius illustrent obvii iam sint. Primam, quae de Obelisco Vaticano est, unicam repraesentare lubet, quod ea se novitate singulari valde commendet, distichon dum exhibet, a nemine, quantum video, allatum, et de quo disquisitionem facere interest. Ea porro sic habet:

IN ROMA

Columna Iulia quadrilatera quae est prope Sanctum Petrum, apud interiorem extremitatem est spissa secundum singulum latus pedes circa octo,

longa vero est bona aestimatione pedes 60, sive perticae decem. Dixit autem presbyter qui habitat prope eam, quod mensuraverat eam quidam cum instrumento ad umbram, et invenit brachia 45. Martinus (1) *in Chronica dicit quod longitudo eius est centum viginti prope pedum; et Eutropius idem dicit. Svetonius vero dicit quod est de lapide Numidico. Litterae vero sunt insculptae in duobus lateribus eius huiusmodi.*

DIVO CAESARI DIVI IVLII F AVGVSTO
TI CAESARI DIVI AVGVSTI F AVGVSTO
SACRVM

Supra medium huius columnae Iuliae sculpta sunt haec duo carmina:

INGENIO BVZETA TVO BIS QVINQVE PVELLAE
APPOSITIS MANIBVS HANC EREXERE COLVMNAM

Obeliscum insignem iussu Caii Caligulae ex Aegypto Romam translatum esse, deinde navi, omnibus quae unquam in mari visae fuerant mira-

(1) Martini Poloni Chronico Pontificum et Imperatorum Memorabilia quaedam de Antiquitatibus Romanis praemitti solent, praesertim in codicibus mss. Quae adiiciuntur ex Eutropio et Svetonio, falso iis tribuuntur.

biliori, qua delatus is fuerat, a Claudio in exstruendo portu Ostiensi demersa, eumdem in Circo Neronis statutum postea fuisse, ex Plinio Hist. Nat. Lib. XVI. Cap. XL. et Lib. XXXVI. Cap. IX. ac ex Svetonio in Vit. Claud. Cap. 20 aperte constat, neque ambigendum quin idem ille sit, qui semper Obeliscus Vaticanus habitus fuit, cum ea Inscriptione duobus in lateribus conspicua. De eo scriptores omnes probatiores tradunt, ex quo primum erectus fuit semper stetisse, nullo unquam tempore ad terram deiectum, donec Sixto V. P. M. iubente, a loco in quo primitus fuerat constitutus, machinatione mirifica et sollemni Dominici Fontanae ex pago Agri Novocomensis, in aream D. Petri in Vaticano, ubi modo stat, anno 1586 translatus est. Hoc unanimi consensu affirmant praesertim Angelus Decembrius, Poggius Florentinus, Maphaeus Vegius, Franciscus Albertinus, Petrus Angelius Bargeaus, Onuphrius Panvinius, Bartholomaeus Marlianus, Philippus Pigafetta, Andreas Palladius, Bernardus Gamuccius, Michael Mercatus, Famianus Nardinius, Kirkerus, Dominicus Fontana, Io. Petrus Bellorius, Carolus Fontana, Philippus Bonannus, Angelus Maria Bandinius, Franciscus Militia, Cancellierius, Winckelmannus, Fea, Georgius Zoega; quorum postremus qui de Obeliscis opus absolutissimum fecit, Romae an. 1797 impressum, velut omnium aliorum

nomine de eo diserte scripsit (p.612): *Hic Romanorum Obeliscorum solus, urbis cladibus superstes, rectus permansit in Circo Vaticano usque donec Dominicus Fontana architectus, iubente Sixto V. P. M., transferret in aream D. Petri.* Hinc nulla fides habita est Ciampinio, Molineto, Victorellio, Ficoronio, Marangonio, Guattanio, paucisque aliis, qui eundem deiectum humique iacentem fuisse repertum, quando eius translatio sub Sixto Pontifice an. 1586 facta est, affirmarunt.

Nunc attamen, Dondio indice ac teste, inopinanter se primum offert distichon Obelisco iamdiu insculptum, ex quo infortunium idem cum aliis commune et ipsum subiisse, ac deinde eodem loco, quo primitus constitutus fuerat, denuo erectum esse, non temere arguere licet; vel si non omnino deiectus humique iacens inventus is est, adeo tamen esset inclinatus, ut eius erectio veluti opus admiratione dignum habita fuerit, posteritatisque memoriae commendanda monumento conspicuo Romae insculpto, cui deinde simile aliud Pisis adiectum ex infra dicendis cognoscere est. Equidem ut primum hocce distichon legitur, tetrastichum illud succurrit de mole maxima marmorea per mare deducta, et Buscheti architecti celebris ingenio miro, per decem puellarum manus saeculo XI erecta; quod eius se-

pulchro in fronte Templi Maioris Pisani eodem tempore insculptum conspicitur, et sic habet:

QUOD VIX MILLE BOUM POSSENT IUGA IUNCTA MOVERE
ET QUOD VIX POTUIT PER MARE FERRE RATIS
BUSKETI NISU QUOD ERAT MIRABILE VISU
DENA PUELLARUM TURBA LEVABAT ONUS

Cuius equidem tetrastichi tot tamque inanes interpretationes prolatae sunt, quae iam patent, explosa veluti fabula decem puellarum operatione; ac si nequaquam ea verba intelligi potuissent de magnae molis erectione Buscheti ductu ad eiusmodi terminum facta, ut decem puellae, manibus suis admotis, ad eam conficiendam satis esse potuerint, ipsisque puellis erectio quodammodo tribuenda visa fuerit. Omnes, qui de hoc argumento scripsere, in errorem induxisse videtur pervulgata opinio, dictum in eo tetrasticho fuisse de machinatione in exstruendo Templo Pisano a Buscheto peracta, quoniam illud cum carminibus aliis de eiusdem Buscheti laudibus in fronte Templi illius, an. 1063 incepti et intra idem saeculum ad finem perducti, legeretur; de operatione autem Romae facta intelligendum idem esse nemini oborta esset suspicio, quantum equidem constat.

Iam vero recti factorum iudices, qui Obeliscum

medio aevo deiectum fuisse, eundemque paulo post a Buscheto denuo erectum censeant, id sine reprehensione facturi esse videntur, si potissimum animadvertant quae de translatione Obelisci per navem magnitudinis mirae facta, et de modo eodem in secunda ipsius erectione servato, verbis iisdem antiquitus exhibentur, intelligentiam ac fidem vicissim sibi conciliare ; aliter quidnam veritati ac rationi consentaneum hac in re dici possit, non video. Obeliscum saltem usque ad annum 1053 erectum stetisse iuxta sacrarium Basilicae Vaticanae, quo primitus loco constitutus is fuerat, apparet ex Bulla Leonis IX Papae, qua Canonicis Basilicae eiusdem confirmat fundum, in cuius *tertio latere* (inquit) *alia via venit ab Agulia quae vocatur Sepulcrum Iulii Caesaris* ; qua tantummodo appellatione monumentum hoc medio aevo denotari consuevisse constat. (*Collectio Bullar. Basilic. Vatic. Romae* 1747. *T. I. p.* 25.) Insecutis eiusdem saeculi annis usque ad 1084. tristissima ea tempora successere, quibus Roma, ex adversitate Henrici IV. Imp. et Gregorii VII, mutuo pugnantium, calamitates plurimas varii generis perpessa, etiam obsidiones, incendia, diruptiones, aedificiorumque destructiones subire coacta est, in ea quoque urbis regione quae *Civitas Leonina* appellabatur, in qua stabat Obeliscus ; quae omnia a scriptoribus coaevis publi-

ce testata, et ab accuratis historicis Italiae posteriorum temporum in operibus pervulgatis descripta iam legimus, nulla unquam ab iis mentione facta Obelisci, cui et ipsi tunc suam eversionem contigisse iam probabile fit. Id profecto est animo nunc advertendum, neminem ex iis quorum scripta de antiquitatibus Romae, vel ex iis quorum collectiones Inscriptionum veterum olim editas habemus, indicium ullum fecisse distichi de Buscheto, ne ipso quidem Petrarcha excepto, quem antiqua monumenta urbis cupide vidisse, et Obelisci tantummodo iuxta traditionem vulgi meminisse comperimus. (*Epistol. Famil. Lib. VI. ep.* 11. *pag.* 199. *Edit. Genev.* 1601.) Dondio itaque omnium fortasse primo et rectam tetrastichi Pisani intelligentiam debemus, et notitiam molitionis insignis Romae denuo confectae, quae ad historiam artium mechanicarum medii aevi in Italia, argumentum ingentis et mirificae tractationis, demonstrandam plurimum conducit.

Tam diuturnum tamque grande silentium non equidem ab admiratione multorum procul esse potest: at si perpendant iidem, obeliscum denuo erectum per tria circiter saecula ante Dondium sub dio iniuriis temporum obnoxium stetisse, ac distichon litteris fugientibus fortasse primitus insculptum exhibuisse, non sine difficultate lectionis ob loci inopportunitatem, adeo ut etiam

BVZETA pro BVSCHETE acceptum sit, ac demum saec. XV. litterae evanuerint, eiusmodi admirationi locus non erit. Certe Angelus Decembrius in opere selecta eruditione referto parumque obvio, inscripto *Politiae Literariae Libri septem*, medio circiter eo saeculo conscripto, Augustae anno 1540. typis edito in folio *(pag. CIII.)*, tam male habitum repraesentat, ut nil mirum sit, si vel curiosos veterum monumentorum effugerit, et Guarinum Veronensem ita colloquentem induxerit: *Quod ad meridiem latus expositum est, continuis Austri vaporibus procellisque in dies magis exeditur, tantumque aevo nostro corrosum architecti geometraeque deprehenderunt, ut ducentorum fere pondo diminutionem a summo margine in imum factam arbitrentur.* Et Petrus Bembus Cardinalis in Dialogo de Virgilii Culice et Terentii Fabulis, ad Herculem Strotium, cum aliis suis opusculis anno 1530 Venetiis primum impresso, Hermolaum Barbarum ita colloquentem inducit: *In Obelisco illo Vaticano dici vix potest quantum a Romanis hominibus offensum peccatumque sit, qui quasi inviderent superesse aliquod nostris temporibus opus, quod nulla ex parte annorum temporisque diuturnitas consumpsisset, ruinis aggestis aediculisque constructis, iam ut lateret propemodum effecerunt.*

At enim Dondium ex inspectione antiquita-

tum Romae documenta quoque de morum laudibus recte tribuendis sibi comparasse, argumento est epistola duodevigesima ad Paganinum de Sala equestri dignitate paullo ante exornatum, in qua legum doctrinam maiori in pretio, quam artem militarem, habendam esse contendit, scribens: *Hanc Ciceronis sententiam imitatum Senatum Populumque Romanum nonnullae testantur paginae, quae insculptae marmoribus usque hodie cernuntur in Urbe; quarum aliquas, nec me fallit memoria, legi; in quibus viri insignes domi consiliis, illis qui rem foris navaverunt, in scripturae ordine praeponuntur. Stat ad pedem Tarpeii collis arcus marmoreus triumphalis egregius, qui duobus viris insignibus, videlicet L. Septimio et M. Aurelio inscriptus est, in quo post longam seriem aliqua ad propositum in fine leguntur, quae tene, huiusmodi:* OB REM PVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBUS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE. *Ecce res publica restituta consiliis, propagationi praefertur imperii, et insignes viri domi viris foris insignibus, quanquam procul dubio utrumque sit insigne. Sic doctoratus titulus meritus civilis iuris notione, qua domi consilio res publica gubernatur, anteponi censetur titulo armatae militiae, qua armis externa geruntur.* Postquam vero Dondius ruinas antiquitatis Romanae spectaverat, in epistola duo-

decima Fratri Guillelmo de Cremona sic scribebat: *De artificiis ingeniorum veterum, quanquam pauca supersint; si qua tamen manent alicubi, ab iis qui ea in re sentiunt cupide quaeruntur et videntur magnique penduntur: et si illis hodierna contuleris, non latebit auctores eorum fuisse ex natura ingenio potiores, et artis magisterio doctiores. Ædificia dico vetera, et statuas, sculpturasque cum aliis modi huius: quorum quaedam cum diligenter observant huius temporis artifices, obstupescunt.* Qua eadem epistola uberrime de praestantia antiquorum pertractans, haec ad studium quoque monumentorum veterum spectantia scripserat: *Huiusmodi scripturas seu earum praecipuas quasdam legisse te aliquando studiose crediderim, et in eis mores et actus praeteriti aevi multis in partibus non sine admiratione aliqua notavisse; quibus si illos, quos in praesentia cernimus, salvo iure contuleris, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, atque prudentiam altius profecto illorum animis insedisse fatebere, illisque earum ductu virtutum, magnificum quid longe dignioribus praemiis fuisse provisum. Caeterum eiusdem rei indicio sunt ea quae de decretis olim ob actus egregios honoribus usque hodie Romana in urbe perdurant. Quanquam enim plurima ex eis et magnificentiora iam tempus consumpserit, et quorundam ruinae tantummodo, quae vestigia quaedam*

praebent eorum quae antea steterant, ostendantur; illa tamen pauca mirumque magnifica quae supersunt abunde testantur, nisi magnae virtutis esse non potuisse illos qui eadem decreverunt, magnumque aliquid laude dignum gessisse illos, quibus illa in perennem honorem et gloriam pro praemio donabantur : statuas dico quae, vel aere conflatae vel marmore caesae, usque in diem duravere praesentem, et frusta plurima passim iacentia diruptarum, arcusque marmoreos magni operis triumphales, et columnas insculptas grandium gestorum historias indicantes; aliaque quamplurima generis huius in honorem viris insignibus publice fabricatas, vel quia pacem fundassent, vel quia patriam imminenti periculo liberassent, vel imperium subactis gentibus ampliassent; prout in aliquibus eorum legisse me memini non sine quadam notabili voluptate, et te similiter praetereuntem aliquando auguror notavisse, et substitisse paulisper aliquo cum stupore, ac intra temet forte dixisse : Haec profecto sunt magnorum argumenta virorum.

Restat ut studium etiam poeseos ad exornandam laudem doctrinae Dondii accessisse paucis demonstrem, quo is inter medicos sui temporis locum eximium tenuisse appareat. Unum tantummodo eius carmen Italicum ad Petrarcham typis editum fuisse, quod cum aliis huius prodire

solet, ac ab Academicis Florentinis *della Crusca* in Lexico allatum est, vel huiusmodi rerum leviter instructi norunt. At in Codice manuscripto, quem initio indicavi, quadraginta exstant ex eorum genere quae appellatione vulgari *Sonetti* denotari sollemne est. Sunt ea de argumentis variis, de virtutum potissimum studio, de perversitate morum sui temporis, de laudibus aut reprehensionibus Principum quorundam tunc dominantium, de urbibus in itinere Romano visis, responsa ad amicos, deque re amatoria non multa, secus atque ex usu saeculi erat. Dondii carmina vulgaria scripta sunt Francisco Petrarchae cultoribusque poeseos quibusdam aliis amicitia sibi iunctis, scilicet Gaspari de Broaspinis Veronensi, Francisco Vanozzio, Melchiori et Benedicto itidem Veronensibus, Bartholomaeo Pacis Patavino, Fratri Guillelmo de Cremona, Ioanni de Venetiis condiscipulo suo, Bartholomaeo de Campo, et Iacobo de Castelliono Aretino. Arquadi sepulchrum Petrarchae Dondius invisens, carmen de eo argumento omnium fortasse primus effudit; quem deinceps viri docti multi ex omni fere natione omnique aevo imitati sunt, ut proinde uberrima carminum ea de re collectio, a me annotata sit, quae in publicam lucem evulgari cum laude posset.

Poesis quam Dondius sectabatur non semper facilem et expeditam se praebet, neque tamen a

gravitate et elegantia abhorret: poematibus vulgaribus versus Latinos immiscere identidem ei placuit, quemadmodum versificatoribus antiquis nonnullis nostratibus inepto conatu usuvenisse comperimus. Versibus faciendis iuvenili aetate non parum indulserat; quippe Guillelmo de Cremona scribit:

Già nella vaga etade de' primi anni
Mi piacque udir e dir talvolta in rima,
Benchè con grosso stile e rude lima:
Poi che l'alma vestir di miglior panni
Mi piacque più, perch' io conobbi i danni
Dei persi dì, lasciai la via di prima,
Prendendo quel che più prezzo si stima
Con maggior cura e studiosi affanni.

Dondii versus codices manuscripti raro admodum obiiciunt, neque nisi perpaucos in duobus ego vidi; quorum alter exstat in Bibliotheca Seminarii Patavini, olim a Facciolato possessus, alter hiulcus et imbrium iniuria male habitus in conclavi superiori Basilicae Divi Marci Venetiarum a me pridem repertus est, et in Bibliothecam Regiam translatus: haud itaque inopportunum videtur sex eius poemata vulgaria speciminis gratia huic epistolae subiicere.

Ex his omnibus Dondius tanta tamque varia

doctrina praeditus apud rectos ingeniorum iudices apparet, ut cum paucis suorum temporum Medicis excellens omnino sit habendus; neque iccirco in ea commonstranda operae iactura facta a me fuerit.

Venetiis XII. Calend. Decemb. MDCCCXVIII.

SONETTI INEDITI

DI M. GIOVANNI DONDI

I

Se 'l veder torto del vostro Giovanni
 Mira la region terrestre ed ima,
 La gente ricercando in ogni clima,
 Ebrei, Latini, Greci, ed Alemanni,
Regni comuni, e sudditi a' tiranni;
 Al mal son pronti, e per quel si sublima,
 Spenta è virtù, e la fortuna opima
 Col vizio sta su gloriosi scanni.
Ito è il tempo che fu col buon Augusto,
 Rari son quei che per virtù guadagna,
 Astuzia e frodo regna con bugia.
A cui dunque direm del calle angusto,
 Per qual si va con la virtù compagna?
 Degno è del mal così lagnarsi pria.

II

O puzza abbominabil di costumi,
  O maledetti dì di nostra etade,
  O gente umana senza umanitade
  Più, che senza splendor oscuri fumi!
Convien che 'l mondo in breve si consumi,
  Poichè giustizia ed innocenza cade,
  E sol quell'arte e studio par che aggrade,
  Per qual l'un l'altro offenda, inganni, e schiumi.
Qual cieli infortunati, qual figure,
  Qual inimiche stelle, o gravi segni
  In ogni nostro ben or s'è disperso!
Quanto beate fur più le nature
  Nell' imperio d'Augusto, quand' ingegni,
  Virtute, e pace ebbe l'universo!

Contra insolentiam Venetorum inferentium guerram Domino Paduae

Se la gran Babilonia fu superba,
Troia, Cartago, e la mirabil Roma,
Che ancor si vede, e quell'altre si noma,
Ma dove stetter pria stan selve ed erba;
E se altra possa fu mai tanto acerba
A metter sopra altrui gravosa soma,
Tutte san già quant'ogni orgoglio doma
Al fin colui che a sè vendetta serba.
Però qualunque è maggior signoria
Dovrebbe rifrenar con più misura
Fraterna di giustizia sua potenza,
Di aver con suoi minor consorte pia
Non arrogante, ingiuriosa, e dura,
E temer sopra sè dal Ciel sentenza.

IV

Cum visitasset sepulchrum Domini Francisci Petrarchae in Arquada.

Nel sommo cielo con eterna vita
  Gode l'alma felice tua, Petrarca,
  Quivi di sodo sasso in nobil arca
  La terrena caduca parte èscita.
La fama del tuo nome già gradita
  Sonando va con gloriosa barca,
  Di vera lode e d'ogni pregio carca,
  Per l'universo in ogni canto udita.
Nelle scritte sentenze tue si vede
  La gentilezza dell' ingegno divo,
  E qual sii stato in Cattolica Fede.
Però chi anco t'ama non è privo
  Ancor di te, e chi morto ti crede
  Erra; ch'or vivi, e sempre sarai vivo.

V

Ioannes de Dondis socio et condiscipulo suo Ioanni de Venetiis studenti in Medicina, qui scripserat eidem quosdam vulgares rhythmos.

Le tue parole mi par belle tanto,
  E sì bene ordinate tutte quante,
  Qual se ditte le avesse o Guido, o Dante,
  Ovvero esaminate in ogni canto.
Però quando fra me mi penso alquanto,
  Parmi che tu non sei molto distante
  Da color che tu imiti, buon rimante,
  E che han vestito di quell'arte il manto.
Onde io ti prego che scrivi talvolta
  Sì che svegli il mio picciol ingegno,
  Per te sottratto dalla turba stolta.
Onor ti renderò, che n'ei ben degno
  Più, che 'l fanciul dal maestro ch'ascolta,
  Guardando a te, col balestriere (1) al segno.

(1) *Così il Codice.*

VI

Dica contra chi vuol : il saper vale
  Più, che il foll' ardimento, ed ogni schiera
  Produrrà a torto quantunque sua fiera :
  Per ragion giusta dee terminar male :
E chi per van conforto d'altrui sale
  Oltra quel che convien a sua maniera,
  Degno è che non governi ben bandiera,
  Nè ben cavalchi alcun sotto sue ale.
Adunque imprenda pria quei che non sanno,
  E non ardisca saltar di leggieri :
  Contra s'alza a baldezza di vesciche ;
Che chi è corrente ha più volte le fiche,
  E scaccomatto in mezzo il tavolieri,
  Sì che 'l riporta la vergogna e 'l danno.

—

OPERE A STAMPA

DELL'ABATE

IACOPO MORELLI

VENEZIANO.

1 BIBLIOTECA MANOSCRITTA del Balì Tommaso Giuseppe Farsetti. Venezia 1771 e 1780 T. II 12. *Qualche Codice nel tomo primo è illustrato dal possessore.*

2 DISSERTAZIONE Storica intorno alla pubblica LIBRERIA DI SAN MARCO in Venezia. Venezia, Zatta, 1774, 8.

3 FRANCISCI PRENDILAQUAE Dialogus de vita Victorini Feltrensis, ex codice Vaticano, cum annotatiunculis Morellii, edente Natali Lastesio. Patavii, typis Seminarii, 1774, 8.

4 CODICES MANUSCRIPTI LATINI BIBLIOTHECAE NANIANAE RELATI, cum Opusculis ineditis ex iisdem depromptis. Venetiis, Zatta 1776, 4. *Opuscula sunt.* I *Bernardi Naugerii Oratio in funere Andreae Gritti Principis Venetiarum.* II *Augustini Valerii Card. libellus Qua ratione monendi sint detrahentes Reipublicae Venetae.* III *Silvii Antoniani Epistola ad Leonardum Donatum et Laurentium Priolum, qua iis Augustini Valerii Card. libros mittit.*

De utilitate capienda ex rebus Venetorum. IV *Stephani Gradii Epistola ad Caesarem Estraeum Cardinalem de Antonii Arnaldi opere de Eucharistia.* V *Danielis Barbari Carmen ad Bernardum Naugerium.* VI *Silvii Antoniani Card. Carmen de Augustini Valerii Card. libris De utilitate capienda ex rebus Venetorum.*

5 I CODICI MANOSCRITTI VOLGARI DELLA LIBRERIA NANIANA RIFERITI, con alcune Operette inedite da essi tratte. Venezia, Zatta 1776, 4. *Le Operette sono:* I *Discorso di Benvenuto Cellini, dell'Architettura.* II *Lettera di Girolamo Vecchietti, sopra la vita e li viaggi orientali di Giovambatista Vecchietti suo fratello.* III *Lettera di Galileo Galilei ad un prelato sopra la proibizione del libro del Copernico.* IV *Lettera dello stesso Galileo a Mons. Pietro Dini sopra il sistema del Copernico.* V *Due sonetti di Daniele Barbaro sulla morte di Trifone Gabriele.*

6 CATALOGO DI COMMEDIE ITALIANE raccolte dal Balì Farsetti, con annotazioni. Venezia, 1776, 12. *La Prefazione è del possessore. Nell'anno stesso vi si è fatta un'appendice a stampa.*

7 VITE DI ANTONFRANCESCO FARSETTI cavaliere e DI MAFFEO NICCOLÒ FARSETTI Arcivescovo di Ravenna. *Stanno nel libro intitolato* Notizie della famiglia Farsetti. Cosmopoli *(Venezia* 1778,*)* 4.

8 CATALOGO DI STORIE GENERALI E PARTICOLARI D'ITALIA, quanto a città luoghi e fa-

miglie, raccolte dal Balì Farsetti, con annotazioni. Venezia, 1782, 12. *La Prefazione è del possessore.*

9 LETTERA al Senatore Angelo Quirini sopra due antiche inscrizioni spettanti alla città di Salona, poste nella villa Altichiera. Venezia 1784. *Sta nel tomo XVI della raccolta Ferrarese.*

10 ARISTIDIS Oratio adversus Leptinem, LIBANII Declamatio pro Socrate, ARISTOXENI Rhytmicorum Elementorum Fragmenta, ex bibliotheca Veneta D. Marci nunc primum edita, cum annotationibus, gr. lat. Venetiis, Palesius, 1785, 8.

11 CATALOGO DI LIBRI ITALIANI raccolti dal Balì Farsetti, con annotazioni. Venezia, 1785, 12. *La Prefazione è del possessore.*

12 LETTERE DI APOSTOLO ZENO emendate e accresciute di molte inedite. Venezia, 1785, T. VI in 8.

13 BIBLIOTHECA MAPHAEI PINELLI VENETI magno iam studio collecta, descripta et annotationibus illustrata. Venetiis, Palesius, 1787, T. VI in 8. *Bibliotheca locupletissima fuit libris longe pretiosis et eximiae raritatis, praesertim quoad auctores classicos graecos latinos et italicos, eorumque exemplaria in membranis impressa, editiones saeculi XV, ac typographorum insignium, opera et studio Morellii, intra decem annos instructa; deinde ea ob interitum Pinellii ab heredibus venumdata, et ad exteros translata, libri, auctione publica constituta, singulatim divenditi fuere anno* 1788.

14 CATALOGO DI LIBRI LATINI raccolti dal Balì Farsetti, con annotazioni. Venezia, 1788, 12. *La*

Prefazione è del possessore. Vi si contengono anche Giunte alla Biblioteca manoscritta e alli cataloghi riferiti de' libri del Farsetti.

15 VITA DI IACOPO SANSOVINO descritta da GIORGIO VASARI, e da lui medesimo riformata corretta e continuata. Venezia, Zatta, 1789, 4. *È ristampa fatta a norma di un'edizione del secolo XVI, ch'era sconosciuta.*

16 DELLA ISTORIA VINIZIANA DI PIETRO BEMBO Cardinale, da lui volgarizzata, libri dodici, ora per la prima volta secondo l'originale pubblicati. Venezia, Zatta, 1790, T. II 4. *L'istoria del Bembo tratta in luce dopo la di lui morte, prima che si desse fuori, fu in più luoghi troncata, sì nel testo latino, come nel volgare: in questo poi fu anche guasta e sfigurata la nativa dettatura toscana. Così è in tutte l'edizioni, fuorichè in questa, che rappresenta l'originale esattamente; ed è poi in maniera nobile eseguita, con un ritratto ancora del Bembo, preso da una pittura di Tiziano, e intagliato da Francesco Bartolozzi.*

17 EPISTOLA AD CHRIST. FRID. AMMONIUM de nova versione graeca librorum quorundam Veteris testamenti in codice MS. bibliothecae Venetae D. Marci servata, cum variis eiusdem codicis lectionibus. *Exstat cum Versione eadem Pentateuchi Erlangae impressa anno 1791, Tom. III pag. 104. Iterum edita cum annotatione inter Morellii epistolas septem variae eruditionis. Patavii, 1819,* 8.

18 EPISTOLA AD AMANDUM GASTONEM CA-

MUS de codice MS. graeco Historiae Animalium Aristotelis, in bibliotheca Veneta Marciana servato, data Venetiis an. 1791. *Exstat in opere : Notices et extraits des manuscripts de la bibliothèque nationale de Paris T. V p.* 435.

19 ANDREAE GRITTI Principis Venetiarum vita, Nicolao Barbadico auctore, Alexandro Albritio Procuratoris D. Marci dignitatem ineunte, primum edita. Venetiis, Palesius, 1792, 4

20 COMPONIMENTI POETICI latini e volgari di varii autori de' passati tempi in lode di Venezia, scelti e raccolti nell' ingresso del Procuratore Alessandro Albrizzi. Venezia, Palese, 1792, 4

21 EPISTOLA AD IO. BAPT. CASPAREM D'ANSSE DE VILLOISON, qua tragoediam *Tereus* inscriptam, nuper inventam, et L. Vario adiudicatam, Prognem Gregorii Corrarii esse demonstratur. Data Venetiis X cal. Octob. 1792. *Folio volanti impressa. Iterum edita ab Harlesio in Supplementis ad breviorem notitiam litter. rom. P. I p.* 494 *ac tertio a Simone Chardon la Rochette in* Magasin Encyclopédique Paris an. IX T. V p. 95. *Italice reddita a Iosepho Vernazza in* Biblioteca Torinese, Settembre 1792. Recusa cum annotatione inter Morellii epistolas septem variae eruditionis. Patavii, 1819.

22 EPISTOLA AD IOSEPHUM DE RETZER de operibus Hieronymi Balbi Veneti Episcopi Gurcensis, ab eo Vindobonae anno 1792 coniunctim editis. *Exstat in* Mercurio italiano di Vienna an. 1792, T. VIII p. 202.

23 DISSERTAZIONE DELLE SOLENNITÀ E POMPE NUZIALI già usate presso li Veneziani, per le nozze Tiepolo-Gradenigo. Venezia, 1793, 4.

24 MONUMENTI del principio della stampa in Venezia. Venezia, 1793, 4. *Foglio volante. Da questi monumenti risulta la falsità dell'anno 1461 nel famoso libro* Decor Puellarum. *Furono essi ristampati nel Giornale Veneto intitolato* Genio Letterario d'Europa, *Gennaro 1794, nei Supplimenti citati dell' Harles P. I p. 11 e in altri libri ancora.*

25 MONUMENTI VENEZIANI di varia letteratura, per la prima volta pubblicati nell' ingresso del Procuratore Alvise Pisani. Venezia, Palese, 1796, 4. *Sono* I *Istoria dell'assedio e della ricupera di Zara fatta da' Veneziani nell'anno 1346, scritta da autore contemporaneo.* II *Lettere quattro del Cardinale Pietro Bembo.* III *Scrittura di Galileo Galilei alla Signoria di Venezia, con la quale ad essa presentò il Telescopio da se ritrovato e costrutto, con decreto relativo del Senato.*

26 DELLE GUERRE DE' VENEZIANI NELL'ASIA, dall'anno 1470 al 1474, libri tre di Coriolano Cippico, riprodotti con illustrazioni nell' ingresso del Procuratore Antonio Cappello. Venezia, Palese, 1796, 4.

27 DISSERTAZIONE storica della cultura della poesia presso li Veneziani, dalli più rimoti tempi sino alli moderni. Sta col Parnaso Veneziano dell'Ab. Bettinelli dell'edizione fatta per l'ingresso suddetto, in Venezia 1796, 4.

28 LETTERA sopra una statua con inscrizione, posta in Padova nel Prato della Valle, all' insigne scultore Antonio Canova, di volontà e a spese del Proc. Antonio Cappello. *Sta nel Mercurio d' Italia stampato in Venezia l'anno* 1796, *T. I p.* 96.

29 DIONIS CASSII Historiarum Romanorum fragmenta, cum novis earumdem lectionibus, nunc primum edita, et annotationibus illustrata, gr. lat. Bassani, typis Remondinianis, 1798, 8.

30 ---- EADEM castigatius, (quoad errores typographicos tantum) formaque maiori ad Reimarianam editionem accommodata, denuo excusa. Parisiis, Delance, 1800, folio.

31 LETTERA al conte Antonio Bartolini Commendatore Gerosolimitano sopra due sconosciute edizioni di Tibullo e di Claudiano, fatte nel secolo XV. *Sta col saggio dello stesso Bartolini sopra la Tipografia del Friuli nel secolo XV, stampato in Udine* 1798, 4.

32 LE RIME DI FRANCESCO PETRARCA tratte da' migliori esemplari, con illustrazioni inedite di Lodovico Beccadelli. Verona, Giuliari, 1799, T. II 16. *Nelle rime vi sono emendazioni autorizzate con testi a penna. Del Beccadelli v' è la Vita del poeta rifatta e ridotta assai migliore di quel che da prima vedevasi a stampa; con osservazioni di lui sulle rime, e altre illustrazioni dell'editore.*

33 NOTIZIA D' OPERE DI DISEGNO, nella prima metà del secolo XVI esistenti in Padova Cremona Milano Pavia Bergamo Crema e Venezia, scritta da un ANONIMO di quel tempo, pubblicata e con

Digitized by Google

copiose annotazioni illustrata. Bassano, Remondini, 1800, 8 gr.

34 BIBLIOTHECA MANUSCRIPTA graeca et latina, Tomus primus. Bassani, typis Remondinianis, 1802, 8 maj. *Codicum manuscriptorum, quos Morellius inspexit, relatio fit.*

35 IOANNIS COTTAE Ligniacensis carmina recognita et aucta. Bassani, typis Remondinianis, 1802, 4.

36 DISSERTAZIONE intorno ad alcuni VIAGGIATORI ERUDITI VENEZIANI POCO NOTI, pubblicata nelle nozze Manin e Giovanelli. Venezia, Zatta, 1803, 4. *Li viaggiatori, de' quali diffusamente si tratta, sono Paolo Trevisano, Giovanni Bembo, Pellegrino Brocardi, Ambrogio Bembo, e Giannantonio Soderini: vi si aggiungono notizie d'altri viaggiatori meno ancora conosciuti.*

37 MEMORIALE DI AGOSTINO VALIERO Cardinale a Luigi Contarini sopra gli studii ad un senatore Veneziano convenienti, pubblicato nell' ingresso del Cardinale Lodovico Flangini al Patriarcato di Venezia, con annotazioni. Venezia, 1803, 4.

38 LETTERE FAMILIARI DELL'ABATE NATALE LASTESIO, per la prima volta pubblicate, con una Narrazione intorno all'autore. Bassano, Remondini, 1804, 8.

39 ALDI PII MANUTII Scripta tria longe rarissima denuo edita et annotationibus illustrata. Bassani, Remondini, 1806, 8. *Scripta tria sunt* I *Musarum Panagyris cum hexasticho et Paraenesi ad Albertum Pium Carpi Principem.* II *Epigramma in statuam*

Digitized by Google

Veneris et Cupidinis. III *Novae Academiae Aldinae lex, graece, cum latina Morellii versione.*

40 DESCRIZIONE DELLE FESTE celebrate in Venezia l'anno 1807 per la venuta dell' Imperatore de' Francesi e Re d'Italia. Venezia, Picotti, 1808, 4 fig.

41 STANZE INEDITE DI ANTONIO DE' PAZZI in biasimo delle donne, e di TORQUATO TASSO in lode di esse, pubblicate per le nozze Mulazzani-Cappadoca. Venezia, 1810, Picotti, 8.

42 NOTIZIE INTORNO ALL'INTRODUZIONE ALLE VIRTÙ Testo sin ora inedito. Sono di lingua premesse all'opera stessa nell'edizione fattane in Firenze, 1810, 8.

43 AMORE FUGGITIVO, Idillio di Mosco tradotto da BENEDETTO VARCHI, e rime burlesche di AGNOLO BRONZINO, edizione prima per le nozze Venier-Giovanelli. Venezia, Curti, 1810, 8.

44 LETTERA RARISSIMA DI CRISTOFORO COLOMBO scritta dalla Giamaica nel 1503 alli Re e Regina di Spagna intorno li suoi viaggi, riprodotta e illustrata con annotazioni. Bassano, Remondini, 1810, 8.

45 NOTIZIA DI UN'OPERETTA LATINA a stampa appena nota di CLAUDIO TOLOMEI, nella quale sono introdotti Giasone del Maino ed Angelo Poliziano a dialogizzare *De corruptis verbis juris civilis.* Sta nel Poligrafo, Giornale di Milano 1812, n. XIX, XX.

46 EPISTOLAE DUAE ad Danielem Wyttenbachium, ann. 1784 et 1806 de versione latina Phaedonis

Platonis, quae putari solet facta ab Henrico Aristippo Atheniensi, manuscripta in bibliotheca D. Marci Venetiarum. Exstant cum Phaedone a Wyttenbachio edito Lugduni Batavorum 1810, p. 103, 105.

47 LETTERE DUE al cav. Filippo Re, sopra l'opera *Ruralium Commodorum* di Pietro Crescenzio. Stanno nell'elogio del Crescenzio stampato dal Re. Bologna 1812, 8, p. 30, 44.

48 RIME INEDITE DI ANTONIO MARIA DE' PAZZI con notizie intorno all'autore. Nel Poligrafo sopra detto, 1812, n. XXXII, XXXVII e 1813 n. XLVIII.

49 LETTERA A LORENZO PIGNOTTI scritta nell'anno 1802 sopra la prima edizione del Sinodo di Firenze, contro Papa Sisto IV, celebrato nel 1478. Sta nel T. VI pag. VI, 21 dell' Istoria della Toscana del Pignotti dell'edizione di Firenze 1813.

50 EPISTOLA AD ALBINUM LUDOVICUM MILLINUM de Inscriptione graeca quae Venetiis in Museo Grimanorum exstat. *In Magasin Encyclopédique par Millin, Avril* 1814, *p.* 281. Recusa cum annotatione inter epistolas septem Morellii. Patavii, 1819.

51 EPISTOLA AD DANIELEM WYTTENBACHIUM de Davide Armeno, philosopho *ὁ θεοφιλέστατος* dicto, ejusque Commentario graeco in Aristotelis Categorias. Extat in Philomathia Wyttenbachii; notitia codicum manuscriptorum, libro III Amstelodami 1817, pag. 317.

52 NOTITIA CODICUM MSS. VENETORUM HESIODI, in qua Trincavellianae editionis Venetae

Digitized by Google